30

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE MAMMIS & LACTE,

IN QUA

STATUS TAM NATURALIS,

QUAM PRÆTERNATURALIS,

HUJUSQUE THERAPIA RATIONALIS,

ASSISTENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

JUBENTIBUS STATUTIS INCLYTI MEDICORUM ORDINIS

IN PER-ANTIQUA EBERHARDINA,

PRÆSIDE

VIRO ILLUSTRI,

DN. JOHANNE ZELLER,

MED. DOCT. SERENISS. PRINCIP. WIRTEMBERG. ATQUE OETING. ARCHIATRO ET CONSILIARIO, FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,

PATRONO AC PROMOTORE SUO OBSEQUIOSE SEMPER COLENDO,

RO RITE CAPESSENDIS SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

SOLEMNI ERUDITORUM VENTILATIONI PROPONITUR

AB AUCTORE

GEORG. FRIDERICO GUTERMANN,

BIBRACENSI SUEVO.

AD D. XXIV. SEPTEMBR. ANN. P. R. S. MDCCXXVII.

IN AULA NOVA HORIS CONSUETIS.

TUBINGÆ, Typis JOSEPHI SIGMUNDI.

VIRI

PROSAPIÆ NOBILITATE, DOCTRINÆ EXCELLENTIA, EXPERIENTIÆ FELICITATE, MUNERUM AMPLITUDINE, ERUDITIONIS PROFUNDITATE, ATQUE IN STUDIOSOS SINGULARIS FAVORIS LIBERALITATE

UNDIQUAQUE CELEBRATISSIMI!

NOMINATIM

DN. JOHANNES ZELLER,

INAUGURALIS HUJUS DISPUTATIONIS PRÆSES HONORATISSIME!

PORRO

DN. ELIAS CAMERARIE,

MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ALMA HAC EBERHARDINA PER PLURES JAM ANNOS PROFESSOR PUBL. ORD. SERENISSIMI WIRTEMBERGICI DUCIS ARCHIATER ET CONSILIARIE GRAVISSIME!

UT ET

DN. ALEXAND. CAMERARIE,

DOCT. MED. NEC NON IN EADEM TUBING. ACAD. BOTANICES ET INSTITUTIONUM PROFESS. ORDIN. LONGE LATEQUE CELEBRIS!

ATQUE UT AB AMPLISSIMIS PROFESSORIBUS TUBINGENS.
REVERTAR AD EXTEROS,
APPELLARE LICEAT PRIMUM TUAM EXCELLENTIAM,

DN. JOHANNES SALZMANN,

ITR. MED. DOCT. ET IN INCLYTA UNIVERSITATE
ARGENTINENSI ANATOMIÆ AC CHIRURGIÆ PROFESSOR
PUBLICE DUDUM INCOMPARABILIS, CAPITULI
THOMANI CANONICE DIGNISSIME!

DEINCEPS TE,
VIR PRÆCELLENTISSIME,

DN. JOH. JACOBE SACHS,

PHIL. ET MED. DOCTOR, PHYSICES EXPRERIMEN-
TALIS PROFESSOR PUBLICE ARGENTORATENSIS
FAMIGERATISSIME,
ET CAPITULI AD D. THOMÆ CANONICE MERITISSIME!

VESTRA IN ME COLLATA VARII GENERIS BENEFACTA
DEVOTISSIMA SEMPER RECOLAM MENTE,
SANCTE SPONDENS,
QUOD, VITA PRIUS EXUAR, NECESSE SIT,
QUAM ANIMUM GRATIAS HABENDI REFERENDIQUE
CUPIDISSIMUM EXUAM;
NAM, DUM SPIRITUS HOS REGET ARTUS,
VESTRÆ FIDELITATIS, SOLIDÆ SEDULÆQUE INFORMA-
TIONIS, ET MANSUETISSIMÆ MANUDUCTIONIS,
NUNQUAM ERO IMMEMOR,
SED UBIQUE DEPRÆDICABO
ZELLEROS, CAMERARIOS, SALZMANNOS,
SACHSIOS.

ATQUE VOBIS HODIENUM
ALIQUALIS SALTIM GRATITUDINIS MONUMENTUM
EXHIBITURUS,
QUALEMCUNQUE HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE MAMMIS ET LACTE

DO, DICO, DEDICO.

LACTATE, OBSECRO, TENUITATEM MEAM
FAVORE VESTRO DULCISSIMO ETIAM IN POSTERUM,
UTI HACTENUS UBERRIMUM ERUDITIONIS LAC
EX ORE VESTRO IN ME PROMANAVIT.

EQUIDEM PAR PARI REFERRE NULLUS POTERO,
QUEMADMODUM INFANS MATRIS MAMMAS LACTENS
ÆQUIVALENS REDDERE NESCIT,

SED COMPENSABIT HOC, ET RELIQUA VESTRA MERITA
EA, QUA EST, SUMMA GRATIA

DEUS,

OMNIS BONI FONS SANCTISSIMUS,
HUMANIQUE GENERIS INSTAURATOR ET NUTRITOR
CLEMENTISSIMUS,
CUJUS INFINITAM BONITATEM
PRO VESTRA VESTRATUMQUE SALUTE OMNIGENA
ARDENTISSIMIS SEMPER IMPLORABO PRECIBUS

ILLUSTRIUM VESTRORUM NOMINUM

CULTOR OBSERVANTISSIMUS

GEORGIUS FRIDERICUS GUTERMANN.
BIBERACENSIS SUEVUS.

TUBINGÆ. IIX. CALEND OCTOBR.
ANN. P. C. N. CIↃ IↃ CC XXVII.

B. C. D.
DISSERTATIONIS
de MAMMIS & LACTE
Sectio I.
Phyſiologiam ſive ſtatum Naturalem tradens.

§. I.

QUanquam nemini non cognitum ſit, quid denotet *Nomen Mammarum*, diverſo tamen ſignificatui atque acceptioni ſubjacet. Communiſſime quidem à Latinis intelligitur de *Partibus lac producentibus, atque ſtillantibus*, ſed quandoque etiam uſurpatur pro ipſa *Nutrice*, quæ præbet mammas, ſive fuerit conductitia ſive genitrix ipſa. Aliàs Promiſcue voce ſynonyma *mammillæ* aut *ubera* dici ſolent, quæ quidem nomina ii qui accuratiores eſſe volunt, pariter diſtinguenda eſſe cenſent, ſolisque *Fœminis* mammas, *Viris* mammillas, quaſi dicas mammas minores, vel, prout Riolanus in *Antropol.* auctoritate Juvenalis atque Varonis contendit, mamillas, *Brutis* vero ubera aſſignant. Mamma ipſa ſtricte jam dicta ſtrictius adhuc dividitur ſecundum *habitum externum*, nimirum in *Mamillam*, quouſque cutis mammam tegentis color ſubalbidus ſeſe extendit, in *Areolam*, quæ colore reſplendet alio rubello, atque in *Papillam* ſeu *apicem*, de quibus in ſequentibus. *Sunt* autem Mammæ, ut Clar. Verheyenii deſcriptionem ex *Anat. Corp.* Hum. Tr. III. Cap. 1. huc transferamus, *partes in fœmino pectore inſtar monticulorum eminentes ad Lacteum humorem ſeparandum, eumque ad prolis nutritionem elaborandum, conſervandum atque debito tempore propinandum deſtinatæ.* Et has ipſas jam ſub examinis incudem vocare animus eſt.

Nomen & Definitio.

Situs. §. II. *Situs* earum pro animalium diverſitate variat, cujus reſpectu in *tres* claſſes redigi poſſunt. *Alia* fœtui ulnis excepto, ubi ſedent, mammas in pectore locatas præbent, uti *mulieres*, & ſi his adjungere velis *ſimias, phocas* & *veſpertiliones*. *Alia* erecto corpore ſtantia lactant, ubera habentes inter pedes poſteriores, ut *equæ*, *aſinæ*, *vaccæ*, *cervæ* &c. *Aliis* denique ubera numeroſa duplici ſerie per totum abdominis tractum ad usque pectus exporriguntur, quæ humi cubantia fœtus ſuos nutriunt, uti *Leæna*, *canis fœm. ſcropha*, &c. Animantia vero ovipara, pennata ſcil. reptatilia & aquatilia cum fœtus ſuos non lactent, uberibus omnino deſtituuntur, excepto inter aquatica cetaceorum genere, Balæna, Phoca, Delphina, Orcha & Phocæna. *Situs* ipſe, quem *in homine* obtinent in pectore, triplicem potiſſimum cauſam agnoſcere videtur 1.) *commoditatem loci*, in quo non admodum remotæ à corde mox novam recipiunt Lactis materiam. Deinde ſive ſedeat lactans, ſive ſtet erecta, facile gremio exceptum ulniſve incluſum alumnum ſuum admovere poteſt, & lacte licet diſtentæ, parum tamen incommodi afferunt 2.) *honeſtatem*, quæ utique violaretur, ſi ſitæ eſſent in abdomine. 3.) quoque *venuſtatem pectoris*, quam quidem ab æſtimio hominum magis dependere credimus, eandem autem multorum ſæpius in ſe convertere oculos atque amorem excitare, norit quisque. Conferri huc poſſunt, quæ Galenus de ſpecialis hujus ſitus ratione diſſerit *Libr. VII. de uſu part.* Cap. ult. atque Doctiſſ. ejus commentator, Hoffmanus *no.* 508.

Numerus. §. III. *Binæ* efformatæ ſunt in homine in unoquoque pectoris latere una, recta ſuper utrumque *muſculum pectoralem* ſive *ſerratum anticum minorem*, cui mediante membrana valida & fibris tendineis donata firmiter annectuntur, in medio ſui *ſinum* aut qs. *vallem* relinquentes. Neque ſine ratione muſculis, tanquam parti oſſe molliori, ſubterjacent, ne oſſibus incubantes horum duritie & renitentia facto quocunque impetu læderentur, atque ne commodæ muſculorum inſertioni obeſſent, quos ob majorem firmitatem oſſibus implantari oportuit. *Duplex eſt numerus*, cum mulieres non ſint πολυτοκαὶ, quapropter pro pluribus fœtibus ſimul alendis pluribus etiam opus eſſet mammis; *non ſimplex*, ne v. gr. una prægrandis in pectoris medio collocata tum deformitatem, tum inter cubitum ſupinum ob molem reſpirandi difficultatem induceret, aut in alterutro poſita latere pectoris inæqualitatem & pariter in reſpirando moleſtiam pareret. Præcipue vero, ut bini quaſi utrum fontes perpetua lactis ſcaturigine manantes copioſius & ſufficiens uni vel pluribus fœtibus nutrimentum præberent, & ne, alterutra morbo aliquo affli-

cta,

ſta, infans illico omni ſui privaretur nutrimento, nam unica ſæpe mamma licet exigua, altera male ſe habente, copioſum lac præbere obſervatur. Jnſuper, ut infans à latere in latus transferri poſſet, ne corpus ipſius uni lateri nimis adſveſcens quoquo modo incurvaretur, aut ſtrabiſmo anſa daretur. Præterea, ſi cum Inſigni quodam Anatomico alibi honorifice allegando jocari licet, ut una minus feliciter anatomice præparata, altera cultro ſubmittenda ſuperſit.

§. IV. *Magnitudo* earum *in viris* eſt exigua & in ipſis *fœminis* tum *ratione ætatis & ſtatus conditione*, tum pro *humorum affluentium quantitate*, forſan etiam pro *climatum diverſitate* multum diſcrepat. Namque *Europæis* mulieribus magis *contractas & duriusculas* adſcribunt, quas inter alunt maximas illæ in Helvetiæ diſtrictu Bernenſi. *Longiores*, at *laxiores* eſſe ferunt *Arabibus*, *Indis*, *in Regno Sinegæ*, *in inſula Arnabonis* & *Incolis ad promontorium bonæ ſpei*, quibus, ſi fidem habeas, tam vaſta ſunt ubera, ut non tantum ad ventrem propendeant, ſed & ad tergum reflecti, prolique humeris inhærenti facile porrigi, quinimo (ſi ulterius aſſentire velis) ut ad dorſum projectæ ſub axillis revolvi ſicque circa humerum intortæ anterius fœtui ſugendæ præberi queant, de quali pectoris ampliſſimis lagenis obvallatione canunt *Martial.* L. XIV. & *Horat. Epod. VIII.* E contra in *Meroë*, quæ Ægypti inſula eſt, in *Cucumajata*, Braſiliæ gente, viris mammas tribuunt, fœminis denegant Pompon. Mela, Juvenal. in Sat. XIII. Cyſatus & Pontanus, Verum hoſce in urbe mentiris conſulatus dignitatem jamdiu promeritos eſſe, aït Excell. *Lentilius in ſuis Jatromn. Th. Pr.* P. II. C. XXIII. cum alia Itineraria moderna de his taceant. Num vero excedens illa magnitudo *bonæ diætæ & nutrimenti abundantiæ*, uti videtur in fœminis Helvetiis Lacticiniis fere ſolis ſe ſuſtentantibus, an *intermiſſæ faſciationi*, cui non, uti noſtrates, ſunt adſvetæ, an *Naturæ luxurianti*, an *regioni*, quam inhabitant, adſcribenda ſit, cujusque judicio relictum eſto. Hoc certum eſt, bonum alimentum ſubinde accedens uti totum corpus, ita in ſpecie mammas ceu partes valde poroſas mirum quantum extendere & mole augere poſſe, niſi reſiſtat conſtrictio & faſciatio, quam antiquis in more fuiſſe Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. III. hiſt. 46.* inquit, ne nimium excreſcerent mamillæ. Magnitudo

§. V. Reſpectu *Temperamenti minoribus* utplurimum mammis inſtructas eſſe videmus eas, quarum *habitus* etiam in reliquo corpore eſt *ſtrictior*, quales ſunt *Cholericæ & Melancholicæ*, in quibus non tanta ſeri & lymphæ latet copia, ac in Sanguineis & Phlegmaticis, atque hinc tubuli & fibræ minus irrigantur, ſed citius ſicceſcunt & indurantur. Differentia,

tia, quam importat *Ætas* & *humores affluentes*, hæc eſt: *Infantibus* recens natis tument mammæ ab *humore* quodam *ſeroſo turbido*, quô è mammis prolectô, rurſus ſubſident, *papilla* parvula mammæ profunde inhærente, *areola* plane non conſpicua, cum color ejus ſimilis ſit illi reliquæ cutis. *In pubertate* accedente puellis incipiunt usque magis elevari, donec à manibus ipſarum quoad maximam ſui partem tegi poſſint, ſed habenda hîc ſimul eſt corporis ratio, & inde metienda proportio. Dum autem hoc contingit, puellæ *ſororiari* dicuntur, quæ vox Plauto familiaris eſt, ubi mammæ intumeſcentes ſorores quaſi conſpici gaudent; alii vero per jocum invertunt, illo tempore *frateriari* aut *fraterculari* puellas. Hæc intumeſcentia an *ab augmentatione ſubſtantiæ ſolidæ*, an à *ſanguinis aliusve humoris* irrigatione dependeat, diſpiciendum eſt. Eodem videlicet tempore fit à Natura omnis apparatus ad *depletionem* ſuperflui *ſanguinis* olim pro nutritione fœtus deſtinati per genitalia, id quod cum ſingulis fiat menſibus, *fluxus* dicitur *menſtruus*. Quia vero manifeſtus inter *uterum atque mammas* intercedit *conſenſus*, de quo in §. 14. hinc quemadmodum ad obtinendum menſtruationis negotium congeri circa atque *ad uterum* ſanguinem neceſſe eſt, ita quoque ob conſenſum ſimilis congeſtio humorum fit *ad mammas*, quæ exinde ampliantur in tabulis, pinguedine adaugentur, in canaliculis redduntur magis permeabiles, & diſtenduntur, & quemadmodum partes ad generationem deſtinatæ ad hoc negotium tum temporis adaptantur, ita quoque mammæ, ut fœtui olim excludendo ſimile ſuppeditare queant nutrimentum, quale habuit in utero, ad lactationis olim ſuſcipiendum negotium præparantur. *In ætate juvenili* aliis magis aliis minus ſunt *tumidæ*, prout id ferat *temperamentum*, & *ſtatus conditio*, quando *gravidæ* ſunt, vel *non*, *lactant*, vel *non*. *In Vetulis* autem rurſus *detumeſcunt*, utpote in quibus & humorum copia non abundat, & pinguedo multum abſumitur, & fibræ ſucceſſive rigidiores, aridiores factæ contrahuntur, tonoque remittente flacceſcunt, quia, uti ob ſterilitatem ſenectute inductam, menſes non amplius experiuntur, ita etiam mammarum uſus in eabus ſimul ceſſare ſolet.

Figura. §. VI. Referunt mammæ ſatis exacte *rotundam hæmisphærii* alicujus pectori ſuperjacentis *figuram*, quibusdam vero & præcipue iis, quæ venere uſæ ſunt tum propter *nimiam molem*, tum propter *flacceſcentiam*, *propendent inclinatæ*.
Papilla. In *medio* illarum ſurgit *apex*, qui *Papillæ* nomen gerit, teres, cylindricus, ſuperficiei inæqualis, coloris rubicundi, fragorum majuſcu-

majuſculorum aut minorum mori fructuum, ut & rubidæi figuram exhibens. *Proprie* autem nihil aliud eſt, quam *corpuſculum cavernoſum*, & *congeries tubulorum lacteorum*, quorum oſtiola nunc *ſex*, nunc *octo*, *plura* vel *pauciora* incerto plane numero ope *fibrarum tendinearum & nervearum* decuſſatim decurrentium ſuffulciuntur & ſecum invicem colligantur & *ductum* mammæ *excretorium* conſtituunt. Monſtrat hoc *Autopſia Anatomica*, ſiquidem per *microſcopium* inſpecta præſentat *nodum* quendam *rubicundum*, in cujus *ſupremo & lateribus foramina* exiſtunt, ſetam facile admittentia, &, quando papilla premitur, *lac* aut analogus humor ex iis exprimi poteſt. Inter hæc foramina cernuntur qs. *acini* uſque ad interiora rubentes, ſibique invicem cohærentes per firmam membranam ſed perforatam â tubulis lactiferis & paſſim fibras nerveo-tendineas emittentem, quæ fibræ pro rei exigentia & tubulos lacteos & motus ipſius humoris modificant. Tegitur exterius papilla *membrana* admodum *tenui* & per microſcopium qs. ſub *ſquamarum* forma comparente, quam non inepte cum *epitelide labiorum* comparaveris ratione teneritudinis, ubi vero nominati ductus lactiferi deſinunt, illa pro humoris excernendi tranſitu oſtiola relinquit. Ex *rubore* apparet copioſiſſima quamvis exiliſſima adeſſe *vaſa ſanguinea*, præter quæ *nervuli* hinc inde diſcurrentes duplicis ſeriei *majores* & *minores* conſpiciuntur, quos accurate deſcribit Nuck in *Anat. Uter.* Cap. III. Dependet ab iis *ſenſus papillarum* adeo exquiſitus, ut, cum alias ſemper flaccidæ ſint, tractatæ ab infantis labiis mox *tollantur*, & majores fiant, & *delectationem* fœminis ſuaviuſculum afferant, id quod nutrices ad porrigendas eas ſæpius infantibus invitat, ne, ſi cum dolore aut ſaltem ſine voluptate lactarent, vel invitæ & rarius ſugendas offerrent. Norunt id ètiam laſcivæ manus, à quarum blanda contrectatione & titillatione veluti *glans penis* eriguntur, atque etiam utero ſuavem hanc ſenſationem communicant. Turgent quoque, quando mammæ *à lactis copia* ſunt diſtentæ, quo depleto rurſus flacceſcunt.

§. VII. Circumcinguntur iſtæ papillæ *circulo* quodam, veluti *halone*, & teneritudine & colore à reliqua cute mammis ſupertenſa diſtincto, qui vocatur *Areola ſ. area*, & in multis convenit cum papilla, niſi quod oſtiolis careat, nam adſunt præter nervos & vaſa, etiam ductus lactei ad papillam tendentes, & ratione coloris in *virginibus* eſt *pallide roſea*, paulo obſcurior & *rubicundior* in *lactantibus*, præc. poſt lactationem intenſè rubet, & *magis obſcura* in *vetulis*, poſt mortem autem utplurimum pallet. Juxta *Ravium*, vid. C. H. *Erndl de Itin. ſuo Anglic. & Bat. p. 109.* Areola.

eſt

eſt *cutis extenuatio*, aſt firmiore quam reliqua cutis, gaudet contextu, ne ſcil. impetus continuus infantis, quem in areolam ſugendo exercet, tam facile eam lædat, videmus enim ſugendo cutim in aliis quoque corporis partibus ſtatim rubefieri. Adſunt in areola *parva quadam corpuſcula cutim* quodammodo elevantia, quæ *Verheyen in Anat. C. H. Tubercula*, *Margagnius* vero in *Advers. Anat.* V. p. 8. *glandulas ſebaceas* appellat, aſſerens, ſtillare liquorem lacteum vicarium illi, qui effluat è papillæ foraminulis. Contra hunc autem multa dubia movet *Bianchi*, vid. Manget. *Theatr. Anat.* eas non niſi *glomos adipoſos* eſſe ſtatuens, per quos ſingulos decurrat canaliculus egrediens ex ipſa mammarum ſubſtantia & fundens liquorem ſero lactis ſimilem. Minus autem feliciter Morgagni placita rejicit, ſuaque ſubſtituit, quæ tamen vidiſſe ipſemet ambiguus eſt hiſce verbis, digna enim ſunt, quæ proferantur: *Tandem ſi non adhuc pro certo aſſevero, vidiſſe ſaltem videor, eosdem*, ſcil. canaliculos, *in tubulos majores lacteos, qui properant ad papillam, longe ſatis à papilla ſeu intimè per ſtrata mammarum glanduloſa & pinguedinea ſeſe inſertum vadere.* Revera tubercula hæcce non glanduloſi quid ſunt, cum nulli tubuli lactei in & prope papillam cooriantur, ſed tantum *convolutiones adipoſæ*, pinguedinoſæ, quarum plures & majores occurrunt etiam ipſis mammis intermixtæ.

Glandulæ ſebacæ.

§. VIII. Quænam de hiſce tuberculis ſit ſententia *Ruyſchii*, Anatomici hodie Famigeratiſſimi, is facile divinabit, qui non ignorat, Ruyſchium etiam alibi non aliud quam *papillulas nerveas* admittere, ubicunque Morgagnus glandulas ponit ſebaceas, nempe in *labiis*, *glande penis*, *oculorum palpebris*.. Ergo etiam hic *papillulas nerveas* loco glandularum ſtatuit. Non enim liquor vi expreſſus ſtatim arguit præſentiam glandularum, falſiſſimum enim eſt, quod quidam Anatomicorum in ore habent: *Ubicunque eſt ſecretio, ibi eſt glandula.* Nonne enim in *inteſtinis* fit *ſecretio chyli à fæcibus*, neque tamen inteſtina glandula ſunt? Nonne quælibet corporis pars *augetur*, *nutritur*, id quod absque *ſeceſſione* lymphæ à reliquis ſanguinis partibus adeoque ſine *ſecretione* fieri concipi nequit, neque tamen, totum corpus glandulam eſſe, exinde inferes? Ruyſchianæ igitur ſententiæ etiam ſubſcribere poſſumus, idque eo magis, cum etiam in hoc loco, uti in cæteris jam dictis, *ſenſus* quam maxime *vigeat*. Hoc autem verum eſt, quod Margagnius habet l. c. p. 4. *pilos* in areolis fœminarum quandoque ſed raro obvios eſſe tenuiſſimos. Sæpiùs autem & tantùm non ſemper ocurrunt in areolis virorum

Papillæ nerveæ.

Pili.

rum, modo pauciores & craſſi, longiuſculi, modo plures, ut multitudine ſua & longitudine interdum totam papillam, aream atque mamillam obtegant. Si dicas, hos ipſos pilos è glandulis Margagni ſuccreſcere, reſpondeo, id non eſſe veroſimile, cum pro vel *origine* vel *incremento*, vel *fulcimento* pilorum glandulis minime ſit opus, creſcunt enim è propria ſua radice, uti reliqui in aliis corporis partibus, omnes vero *radiculis ſuis bulbos referentibus* cuti inſiſtunt, quemadmodum plantæ in macrocoſma radicibus ſuis terræ infixæ hærent, in qua quidem glandulas te negaturum eſſe, non tam ſpero, quam confido.

§. IX. In mammis ipſis inquirenda eſt earum *ſubſtantia*, de qua Bidloo in *Tab. anat.* XIX. Beſſe de *la ſtruct. du Corps Hum.* Tom. I. Nuck. *Anat. Ut. mul.* C. II. Vieuſſ. *nov. vaſor. C. H. ſyſtem.* &c. In univerſum fere omnes *glanduloſam* eam eſſe ſtatuunt. Sed, quid ſit *glandula*, primo intuitu quæſtio videri poterit inepta, quamvis, ſi res rite æſtimetur, claram de glandula ideam nemo vel non habeat, vel cum aliis communicare nequeat, id quod probe agnovit Heiſterus tum in *Compendio* ſuo *Anatomico*, tum in ſua *Diſſ. de glandulæ vera appellatione*. ...atione hujus nominis in hoc conveniunt plerique, ut eas *partes* glandularum nomine vendant, *quæ peculiari habitu, ſtructura, figura, conſi...eâ, &c. gaudent*, quibus poſſint diſtingui ab aliis partibus. Atvero quis non videt, ex hiſce qualitatibus & attributis claram & diſtinctam ideam neminem ſibi poſſe effingere, cum etiam aliæ partes peculiarem habeant habitum, ſtructuram &c ? Hinc rectiſſime Exc. Dn. D. Salzmann, *Anat. & Chir. Prof. Argent. Celeberrimus*, quando de glandulis verba facit, eas adnumerat *illis rebus, quæ cuilibet notæ ſunt, definitu vero ut deſcriptu difficiles*, de qualibus Sturm. in *diſſ. de ſimplicium obſcurit.* egit. Interim nunquam negligenter tractatæ ſunt hæ partes, extant enim peculiares de *Adenographia* tractatus à *Warthono* & *Nuckio* editi, neque earum oblitus fuit *Vieuſſens de novo vaſorum ſyſtem. Ruyſchium* etiam in earum ſtructuram ſedulò inquiſiviſſe, variis in locis ejusdem teſtantur opera. *Heiſterum* allegavimus, alios jam tacemus, & ſi anticipare liceat promiſſa pace Autoris, expectamus ſententiam honoris cauſa jam nominati Ill. Salzmanni, in diſſertatione quadam publicè exponendam. Id autem Celebres iſti Anatomici detexerunt, quod *glandula* ſit *pars C. H. per ſe ſubſiſtens, conflata ex arteriis, venis, nervis, vaſis lymphaticis, fibris tendineis & muſculoſis mirum in modum ſecum invicem compactis, & ita tortuoſe decurrentibus, ut in parvo ſpatio inſignem ſui lon-*

Mam̃arum Subſtantia.

Glandula quid ?

Definitio glandulæ.

longitudinem deſcribant, exterius cincta ſemper membrana propria, & emittens canalem excretorium, vehentem id, quod in ſubſtantia ipſa ſecretum & tranſcolatum fuit, cum is potiſſimum glandulæ *uſus* eſſe videatur, ut liquorem quendam vel *ſecernant* vel *attenuent*.

Diviſio glandularum.

§. X. Ratione partium, quæ ad earum *efformationem* concurrunt, non diſcrepant inter ſe glandulæ, ſed *differentia ſpecifica* inter eas deprehenditur reſpectu *ſtructuræ*, *conſiſtentiæ*, *coloris*, *figuræ*, *loci*, *magnitudinis*, & præcipue *uſus*. Enata hinc eſt diviſio in *conglobatas* & *conglomeratas*, quarum priores etiam *ſimplices* dicuntur, quia illarum ſubſtantia glanduloſa ſimplex eſt & per torum ſuum corpuſculum continuata & tandem involuta membrana totam ſubſtantiam circumcingente. Et has quidem Recentiores ſibi concipiunt, tanquam totidem *corcula* e folliculis reticulato quodam fibrarum motricium nexu ſuffultis conſtantia, quæ lympham eodem modo, ac cor ſanguinem, conquaſſant & attenuant, quales ſunt *glandulæ inguinum*, *axillarum*, *meſenterii*, *amygdalæ* & nonnullæ *ſalivales*. v. Berger *de Nat. hum.* p. 83. 115. & 165. Poſteriores autem ſc. *conglomeratæ*, ſunt glandulæ minores, molliores, raræ, magisque ſpongioſæ, ac conglobatæ, mediantibus vaſis & membranis acinorum inſtar ſecum invicem cohærent & in glomerem convolutæ ſunt, præterea communi quaſi membrana involvuntur, cujus cenſus ſunt *pancreas*, *thymus*, *parotis &c.* quas nonnulli media incedentes via *glandulas vaſculoſas* appellant, & has proprie Ruyſchius dicit, eſſe *congeriem vaſculorum mire inter ſe contortorum & meras atque veras arteriarum venarumque continuationes*, uti id ſerio inculcat in ſuis *Theſauris Anat.* inpr. *in præf. Th. An. VI.* Duabus hisce glandularum ſpeciebus ſuperaddit Idem Ruyſch. tertiam, videlicet *glandularum ſanguinearum*, quarum ſubſtantia fere fota quanta ſanguineo-vaſculoſa eſt, unde etiam rubent, quorſum ſpectant *hepar*, *lien* & *renes*. Hæc ipſa diverſa glandularum ſtructura & vaſorum in ipſis decurſus involvit *liquoris* ab unaquaque *ſecernendi diverſitatem*. Si vero quidquam, certe *modus ſecretionis* adhuc eſt abſtruſus, quanquam in hoc explicando à multis iisque haud vulgaris eruditionis Viris fuerit deſudatum. Alii enim reſpexerunt ad *decurſum*, ſive magis *rectilineum*, ſive *tortuoſum*, ſive *alium* quemcunque vaſorum advehentium; Unde fiat, ut ſecundum hanc viæ deſcriptionem ſanguinis partes motu inteſtino circulatorio perpetim motitatæ, *nunc hæ*, *nunc illæ* à centro magis ad latera propellantur, propulſæ, qua data porta, a reliquis *ſeparentur*. Alii potius ad *poros admittentes* reflexerunt, ita ut v. gr.

porus

porus triangularis non alias, niſi triangulares particulas ad- & transmittat, reliquas excludat. Alii ad *primam conformationem* reflexerunt, dicentes, v. gr. in Hepate non poſſe jam aliud quid ſecerni, niſi bilem, quoniam id ab initio ſtatim transmiſerit bilem, &, ne ex Phyſica experimentali exemplum deficiat, illuſtrare volunt ſuam hypotheſin *charta bibula*, quæ oleo imbuta aquam non filtret, ſed tantummodo oleum. Verum enimvero quantis difficultatibus premantur ſinguli iſti ſecretiones glandularum explicandi modi, non jam attinet dicere, cum de hac doctrina glandularum generali prolixiores, quam par eſt, jam fuerimus.

§. XI. Miſſis igitur hiſce generalioribus ipſam jam perluſtrabimus *mammarum ſubſtantiam*. Ubi *Autopſia Anatomica* una alteraque vice hæc obtulit: Mamma tegitur *cute* admodum *poroſa & dilatabili*, e qua egrediuntur *pili tenues*. Separata hac cute arctius undiquaque inveſtiri conſpeximus ſubſtantiam ipſam *membrana alba valida* circumcirca, qualis etiam ceu ſepimentum reperitur inter pinguedinem & muſculos abdominis. Sub iſta immediate ſita eſt *ſubſtantia mammæ pariter valida*, cultro inter ſecandum maxime reſiſtens, ubique *lævis & glabra*, *nitide candicans*. Hanc interjacent *tractus adipoſi* peculiaribus folliculis & membranis incluſi inæquales, latiores, ampliores, anguſtiores, percurrunt etiam eandem *plexus nervei* reticulares, ad papillam tendentes, a quibus derivandus eſt mammarum ſenſus, quippe quæ non ſolum a laſciva contrectatione cum ſuis papillis, fere uti penis virilis cum ſuo ceraſo, intumeſcunt & quaſi eriguntur, ſed & morbo quodam affectæ vehementer dolent. Dependet etiam exinde *tonus* mammarum, qui præcipue obſervatur, quando denudatæ ſubitaneo frigore percelluntur, aut animi pathemate, ira, terrore, pudore ſuffunduntur, mammæ ita denſantur, ut nullo modo ne guttula quidem lactis prolici poſſit. Neque talis toni alteratio ſine ſenſu fit, quem exprimunt, ac ſi cultelli, acus mammas perforaſſent. Tanta vero nervorum copia, quantam Warthonus obſervavit juxta *Mangeti Theatr. L. III. P. II. C. I.* p. 105. non reperitur. Plexus iſti nervoſi propagines ſunt tum aliquot *nervorum dorſalium*, tum *plexus* illius, qui formatur *circa claviculas*. Subſtantia ipſa ſi digitis palpatur, percipiuntur hinc inde *corpora dura* minus exacte *globoſa*, atque in medio ſub papilla & areola, hujusque confiniis etiam tale duriuſculum corpus, ſuper quod & ex quo decurrunt infra areolam, quam cutim tenuiſſimam eſſe ſuperius diximus, ductus lactiferi tenues, copioſi, nervi & vaſa ſanguifera, in papillam terminantia omnia. Poſteaquam cutim à papilla ſeparaſſemus, nul-

Nervi.

do etiam oculo ſe obtulerunt *oſtiola tubulorum lactiferorum*, in quorum unum *flatus* immiſſus non modo *circulum* oſtendit, in quem omnes e mammis conveniunt, & ex quo iterum abeunt ad papillam, ſed & plurimos *ductus lacteos* undiquaque venientes & ſingulorum anfractus & ramulos laterales.

§. XII. Si *Seta* in tubulum aliquem immittatur, culter hanc proſequens ducitur per & ad ipſam ſubſtantiam glanduloſam, e qua propullulat canaliculus lactifer, ibique neque ſeta ulterius adigi poteſt, neque culter, ſine deſtructione ſubſtantiæ, quæ candida, valida, celluloſa tamen animadvertitur, quæ *cellulæ* in ſatis magna quantitate apparent, ſi ductus fuerit inflatus, & culter flatum, qui longe lateque ſeſe extendit, ſectione ſubſequens minus jam offendit in ſecando reſiſtentiæ & infinitæ parvulæ cellulæ ſeu veſiculæ forti tamen membrana ſibi adhærentes cum interſperſis vaſculis, nervulis & ductulis, conſpectui ſeſe ſiſtunt. Hæc albicans ſolidaque ſubſtantia ſtatuitur eſſe *glanduloſa*, glandularum tamen numerus definiri nequit, quia ubicunque ſecare cœperis hanc ſubſtantiam, diſſecabis glandulas. *Simplicem* vero eſſe numerum, aut *unam* tantummodo *glandulam*, audacter aſſeverari poteſt, e qua quamplurimis in locis enaſcuntur tubuli lactigeri, indicio, ubique ſequeſtrari lac. Nam dura illa ſæpius jam deſcripta ſubſtantia *ubique* ſibi *eſt continua*. Et quamvis ſupra dixerimus, nodos quaſi tangi diſtinctos, ratio hujus nodoſitatis hæc eſt: Interjacet hinc inde pinguedo, tactui cedens, qua vero ſeparata apparet perpetua glanduloſæ partis contiguitas. Ita etiam res facile concipi poteſt, cur maxima quaſi glandula deprehendatur ſub papilla, ſi perpendas, ibidem mammæ altitudinem eſſe præ circumferentia majorem, atque minus adeſſe pinguedinis, ſed glanduloſam ſubſtantiam immediate papillæ eſſe ſubſtratam. Hæc interſperſa pinguedo magna in copia peculiaribus ſacculis includitur, & quia magnam mammæ partem conſtituit, nonnulli tales folliculos adipoſos pro *glandulis mammarum* venditare voluerunt. *Uſus ejus eſt conciliare tam blandum calorem, quum gratum lavorem, & ſuſtentare vaſa.* Neque poſtremus uſus eſſe videtur Morgagno *Adv. An. V.* p. 98. *ut mammarum ſubſtantia*, quam ex leviſſimis interdum ictibus & compreſſionibus vitiari conſtat, *mollius tutiusque in ea jaceat, atque* ubi opus eſt, *& creſcere & lacte diſtendi* facilius queat. Imo Malpigh. *Tr. de Oment. Oper. P. II. p. 240.* partem ejus ad *Lac perficiendum ſecedere*, ſtatuit.

Tubuli lactiferi.

§. XIII. Ut ſpecialiora proferantur de *tubulis lactiferis*, ſunt iſti vaſa *mammarum propria & canaliculi ſubtiles, qui a liquore, quem vehunt, lacte ſcilicet, ductus lactei ſ. galactophori* & à Spigelio *Venæ lactiferæ* appellantur.

lantur. Propullulat talis tubulus, uti §. anteced. dictum ex ipſa ſubſtantia glanduloſa principio valde tenui, in progreſſu unitur cum aliis, ita ut *tres, quatuor pluresve* coeuntes conſtituant canalem majorem, quarum plures ſub papilla coeunt & formant *circulum*, e quo poſtmodum anguſtiores, numero *ſex & plerumque plures* terminantur in papillâ, & *ductus mammæ excretorios* conſtituunt, ita, ut lac in tubulis hærens obſtructo forte uno aut altero tubulo, per vias laterales in alios papillæ ductus adhuc patentes tranſire & excerni poſſit. In ipſo ſuo progreſſu non ejusdem ſemper capacitatis ſunt, ſed a circumjacente pinguedine & ſubſtantia nunc *anguſtantur*, nunc *ampliantur*, & tum *receptaculi* munus obeunt, præcip. ubi plures anaſtomoſibus ſibi junguntur, ibi *ſinus* a ſtylo etiam craſſiore deteguntur, atque ſatis amplæ cavitates, in quas Lac colligi ac aſſervari, non vane creditur. *Valvulæ* recte iis denegantur, licet extrema ita anguſta ſint, ut ſetam vix admittant. *Decurſus* eorum parum eſt *anfractuoſus* ſed *magis rectà* ad formandum illum circulum excurrunt. Pro diverſitate ſubjectorum vero *variant*, nam in iis, quæ nondum lactarunt, *anguſti* ſunt, hinc facile concipies ſenſum illum moleſtum maximeque tenſivum in *ſororiantibus*, in *primum gravidis* & *primiparis*. E contra *ampliores* ſunt in *gravidis* atque in *lactantibus* ob continuum materiæ ſecernendæ affluxum. *Concidunt* vero poſt ablactationem atque in vetulis, id quod eorum otio adſcribendum eſt, & præterea in his marceſcentiæ & defectui pinguedinis. *Vaſa* autem *mammarum communia* dicta præter nervos, de quibus ſupra, ſunt *vaſa ſanguifera*, quæ diſtribuuntur in *externa* atque *interna*. *Arteriæ mammariæ externæ* prodeunt à *thoracicis ſuperioribus*, quæ axillarium ſoboles ſunt. *Internæ* autem propagantur à ramo *Aortæ aſcendentis ſubclavio*, & ſub ſterno lateraliter, nonnunquam etiam magis ſub coſtis inter plevram incedentes e pectore exeunt ad mammas. Utræque mox per totam mammam diſtribuuntur in multos minores & minutiſſimos ramulos, & in lactantibus admodum diſtenduntur. Arteriæ ipſæ dextræ & ſiniſtræ mammariæ non ſimplici ſed pluribus *anaſtomoſibus inter ſe communicant*. Poſtea ſanguis relicta portione ſecernenda redit ad *venas*, quarum una *thoracica ſuperior* proprie dicta utrimque *venæ axillari* implantatur, altera vero, quæ *mammaria* audit, ad *ſubclaviam* aſcendit, e qua ſanguis per cavam ſuperiorem cordis ventriculo dextro readvehitur & infunditur. Adſunt quoque in mamis *vaſa lymphatica*, quorum præſentiam, præter teſtimonium *Warthoni* aliorumque, quod in vaccarum uberibus admodum frequentia reperiantur, Vaſa ſanguinea.

& *ratio* & *analogia aliarum partium* dictat, utut autopſia in homine ea exacte demonſtrari non ſemper queant. Venarum comites ſunt ab una parte in tres, ab altera in quatuor diviſa truncos in *chyli receptaculum* ſeſe exonerant.

Conſenſus cum utero. §. XIV. Exponendus etiam hic eſt *Conſenſus mammarum cum utero*, qui in ſequentibus potiſs. ſeſe manifeſtat phænomenis. 1.) Quando in *annis pubertatis* Natura ſeſe accingit ad excretionem *ſanguinis menſtrui*, mammæ *turgeſcunt*. 2.) *Inflationem* quoque mammarum ſolito majorem experiuntur nonnullæ adultiores *ante & ſub fluxu menſium*, aliæ vero majorem ſolito *flacciditatem*. 3.) Quando in puerperis *lochiorum fluxus* quantitate excedit, tum obſervatur *defectus lactis*, atque e contra in illorum *defectu* major evenit *congeſtio ad mammas*. 4.) Si *papilla* contrectatur, in conſortium trahuntur *genitalia*, atque excitatur ſtimulus venereus. 5.) Si lactans *imprægnatur*, non ſolum Lac *alteratur*, ſed & in multis ſucceſſive citius vel tardius *ſecerni deſinit*, *&c*. Cujus conſenſus ætiologia juxta Auctores *quadruplex* eſt. I. Quidam volunt conſentire has partes inter ſe invicem *ob loci viciniam*, uti v. gr. reſpectum mutuum ad ſe habent *pectus & renes*, *glandulæ maſaraicæ & jugulares*. II. Alii commercium hocce derivant *à vaſis ſanguineis*, prætendentes, *vaſa mammaria* per anaſtomoſes jungi cum *epigaſtricis*, ſed hanc communionem negat autopſia. III. Per *nervos* id explicare alii ſatagunt, ſed neque hanc ætiologiam ſufficere pro explicandis omnibus phænomenis, facile deprehendimus, ſi conſideramus, unde uterus & mammæ nervos ſuos mutuentur. Scilicet *uterus* præter nervos *ex oſſe ſacro & lumbis* recipit ſurculos *à plexu meſenterico inferiore* proveniente à ſolari, qui formatur *ab octavo pari*, atque ab *intercoſtali*, hic quidem ſuperius cum illis *ſpinalis medullæ* evidenter communicat, dum ſingulæ vertebræ ramum ad eum amandant & viciſſim ſurculum ab ipſo recipiunt. Sed quis non videt viam maxime anfractuoſam, per quam hic conſenſus foret explicandus? IV. Præ his veriſimilior explicandi modus eſt, quod ratione *officii & uſus*, quem præſtant utræque partes, inter ſe conveniant. Infans enim *in utero* detentus non aliud à matre poſtulat, quam ut ab eadem *foveatur & nutriatur*, &, ſi in lucem prodiit, *idem* a matre expectat, atque cum ventriculo valde ſit debilis, *conveniens* eſſe debet *alimentum*, quod ſtomachum non gravet, ſed facile digeratur & multum ſit nutritivum, quali etiam in utero fructus eſt, nempe *multa lympha* diluto, cum quo lac ſatis convenire videtur.

§. XV.

§. XV. *Uſus* mammarum primarius eſt *Generatio lactis*; deinde in infantibus ſecundum quosdam *Secretio liquoris amnii;* porro *facere ad ornatum*, denique *excitare venerem.* De Lactis generatione paulo poſt plura. *In Fœtu* autem ſtillare mammillas *liquorem* quendam *lacti analogum*, qui in amnio collectus maximam liquoris ibi obvii partem conſtituat, vult Bohn. *in Circ. Anat. Phyſ. Progymn. II.* p. 29. Ortlob. *hiſt. part.* Diſſ. 14. & 36. & Teichmeyer *Elem. Anthrop.* p. 178. Et videtur quidem hæc ſententia firmo ſatis niti talo, verum enim eſt, poſſe ejuscemodi liquorem ad aliquot guttulas ex utriusque ſexus infantibus recens natis exprimi, prout etiam Morgagnius *Adv. An. V.* p. 3. id credere primo detrectans, propria autopſia & manuum applicatione facta id confirmat, & à neglecta expreſſione in nonnullis inflammationem oriri, quoque certum eſt. Sed hic uſus poſtmodum *in adoleſcentibus ceſſat*, prouti videmus, aliarum quoque partium v. g. *thymi*, *renum ſuccenturiatorum*, quaſi obliterari. Quod in fœminis *ad ornatum faciant*, quivis largietur, ſed non omnes, eæ tantum, quibus eſt *magnitudo mediocris*, *diſtantia modica*, *ſubſtantia duriuſcula*, non flaccida aut pendula, *color candidus*, *cutis tenera & papilla roſea*, *magnitudine æqualis fragis majuſculis*, *gratis inciſuris & tuberculis papillaribus vix ſenſibilibus inſtructa*, *cum areola coloris roſei*, qualis in virginibus illibatis occurrit, unde etiam ſigna deſumi ſolent *virginitatis*. *Venerem* excitare in fœminis, ſupra jam dictum eſt, ſcil. titillata papilla eriguntur, & uterum in conſenſum quoque afficiunt. Num vero idem uſus obtineat *in viris*, in quibus contrectatâ papillâ venerem languentem irritari, ſuſpicatus eſt *Berengarius* eumque ſequutus Clarus Heiſterus in *Comp. Anat.* p. 95. merito dubitatur. Neque etiam vel *ad ornatum*, vel ad *munimentum & propugnaculum cordis*, vel ad *Symmetriam corporis* conſervandam, vel ad *emunctoria* conſtituenda *thoracis* cum glandulis ſubaxillaribus, viris datas eſſe, probabile eſt. Quemadmodum etiam ad *generationem lactis*, in his easdem dicatas eſſe, vix videtur *veroſimile*, quanquam nubes fere obſervationum proſtet virorum mammas infantibus præbentium, quas vero haud absque ratione dubias & ſubleſtæ fidei vocat Exc. Dn. Lentilius in *Iatromn. Th. Pr. Part. II.* c. 23. *de abſurdis Medicis.*

Uſus.

Requiſita venuſtatis mammarum.

§. XVI. Ad *ſexum* igitur *fœmininum* proprie pertinet *Lactis* tum *ſecretio* tum in tubulis lacteis *aſſervatio*, donec alumnus eo nutriendus indigeat. *Lac* vocatur etiam *ſanguinis frater*, Græc. *γάλα*, Ph. L. ab Hulden *Ambro-*

Lac quid ſit?

Ambroſinum humanæ ſuſtentationis Nectar, peſſime autem Empedocles *pus album* vocitavit, qui propterea haud injuria carpitur a Sebiz. *Exerc. Med.* p. 674. *Eſt* autem *liquor albicans*, *dulcis*, *inodorus*, *ſpiſſiuſculæ ſubſtantiæ, conſtans ex partibus ſeroſo-ſalinis, pinguibus ſ. butyroſis atque caſeoſis.* Sive e *corpuſculis ſubmucido - pinguibus* atque *ſubtiliſſimis terreis* & quadantenus *ſalinis* multa *aquoſitate* dilutis, *indolis* inter *animalem* atque *vegetabilem craſin* adhuc *mediæ.* Videmus enim vegetabilia potiſſimum tam in brutis, quam in homine pane copioſo, cereviſia, vino &c. utente copioſe gignere lac. Hinc etiam in lacte remanent veſtigia temperiei vegetabilis, præcip. *aceſcentia*, aut *fermentatio aceſcens.* Lactis *pinguedinem* monſtrat *Flos ſ. cremor lactis* ſupernatans, ſi tendit ad acorem, eſtque ejus portio maxime *ſulphurea ſ. oleoſa*, quæ per quaſſationem ab aliis partibus ſeparata *butyrum* conſtituit. Dum vero in lacte recenti adadhuc *ſalia* ad *acidam* naturam accedentia involvit, emergit inde *dulcis ſapor*, & quia una cum *mucilaginoſis* conjungitur cum *aquoſis*, color lactis *candicat.* *Mucilaginem* prodit partim lactis per moram & calorem fermenteſcentis & aceſcentis *grumoſitas*, quæ & à guſtu & tactu *lubrica* deprehenditur, atque hinc *Schlipffer-Milch* audit: partim *ſerum*, quod etiam ſeparata hac parte ſpiſſiore *ſubmucidam* retinet *lubricitatem.* Partes *terreſtres* una cum *ſalinis* oſtendit *caſeus*, inprimis ille, qui e lacte cremore ſuo privato conficitur. *Seroſæ* autem mox ſeparatim exhibentur, ſi per *plures horas* aut *paucos dies* Lac conſervetur, & continent quoque maximam ſalinorum corpuſculorum partem. Quale appareat Lac ſub *microſcopio*, & quomodo differat à *ſanguine* ratione ſeri & globulorum, vid. Verhey. *Anat. C. H. part. II. in 4to*, ubi quoque Lactis *analyſin Chymicam* variis experimentis inſtitutam pandit.

Generatio Lactis. §. XVII. Circa lactis generationem duo potiſſimum conſideranda ſunt. 1.) *materia, ex qua?* 2.) *modus & tempus, quo ſecernitur*, cum ſuis circumſtantiis. *Materia lactis* controverſiæ adhuc ſubjacet, an ſcil. elaboretur lac *e chylo, an e ſanguine?* Prius ſuadere videntur ſequentia, 1.) *Prodigioſa lactis copia*, quæ ſalva nutricis ſanitate ſanguini intra 24. horas non ſubtrahi poſſet. 2.) *Paucitas ſubſtantiæ glanduloſæ.* 3.) *Proventus lactis* paulo poſt a paſtu, aut ſumto carnis juſculo contingens. 4.) *Dolor moleſtus* in dorſo à forti ſuctione. 5.) *Vaſorum ſanguineorum* minor capacitas. 5.) Zypæi *autopſia*, qua in canibus ramos lacteos à cyſterna & ductu thoracico protenſos ad mammas vidiſſe perhibet. *Act. Lipſ. 1685.* p. 84. 7.) *Differentia lactis* pro aſſumtorum varietate, *Tinctura*

ſtura à croco, vis purgans à Rhabarbaro inducta. 8.) *Differentia lactis à ſanguine*, cum hic in fœtidam abeat putrilaginem, neque unquam butyrum aut caſeum præbeat. Ad quæ tamen argumenta pro ſtabilienda poſteriori ſententia facile reſponderi poſſe videtur. 1.) enim *par* eſſet *detrimentum*, etiamſi Lac è chylo immediate elaboraretur. 2.) *negatur*, ſubſtantiam glanduloſam inſufficientem eſſe. 3.) *celeritatem circuli ſanguinis, ſitum mammarum, viæque brevitatem* proponimus. 4.) *dolor tenſivus* magis ſecundum tractum vaſorum ſanguiferorum, imo & nervorum obſervatur. 5.) *vaſa* ſatis *ampla* ſunt, & præc. in *lactantibus* admodum diſtenduntur. 6.) *Zypæi auctoritas vacillat*, peculiares enim tales ductus *experientia* nondum confirmati ſunt, cum *mercurius* nunquam adhuc ductu thoracico delatus fuerit ad mammas, & probabile videtur, per *vaſa lymphatica* deceptum eſſe. 7.) ex *lacte* pro aſſumtorum varietate *diverſo* non licet argumentari, quod talia non intrarint *M. S.* nam ſæpius *ſudores*, imo & *fonticuli* in brachio aut crure haud raro aſſumtorum *odorem* referunt. quemadmodum etiam 8.) *diverſitas lactis & ſanguinis* parum probat, diſcrepat enim pariter *urina* aliique *humores* à ſanguine, etiam in *corruptionis* modo, & nihiloſecius è *M. S.* ſecreti fuerunt. Quibus addi poſſunt argumenta in contrarium, ſcil. *diuturna ſuctione* exit loco Lactis *ſanguis* ipſe: Lac à *chylo* etiam multum differt: *analogia* attendenda eſt hîc, juxta quam variis in locis varii quoque humores è ſanguine ope glandularum ſequeſtrantur, quæ alias in mammis inutiles eſſent: *Nuckius Tincturam* quandam per vas *arterioſum* injectam usque ad *tubulos lactiferos* propulit: Idem *mercurium* per papillæ foraminulum adegit non ſolum ad omnes *ductus lacteos* ſed & ad *vaſcula ſanguinea*: Neque *coloſtrum* poſt partum, ſed ſtatim perfectum Lac adeſſet, ſi darentur *ductus chyliferi* ad mammas protenſi: Et quoties non *lactant* fœminæ per 15. & plures horas *jejunæ*? Ut alia jam mittam, quæ habet *Verheyenius l. cit.* Veroſimilis igitur eorum eſt ſententia, qui ſtatuunt, *Lac confici è lympha, atque ipſo chylo nondum intime ſanguini commiſto & per communes arteriarum vias ad mammas delato, ibique cito & facile ſecerni.*

§. XVIII. Quoad *alterum*, ſimplici ſibi relicto Naturæ curſu & progreſſu mammæ lac non ſecernunt, licet *infantes* turbidum liquamen, *adultæque* virgines frequenti preſſione & ſuctione humorem lacti ſaltem analogum ſtillent. Sed tum demum *verum* ſecernitur *Lac*, quando mulier

mulier *partui* eſt *vicina*, vel jamdum *peperit*, ubi primo contingit mediantibus *motibus tonicis* affluxus in mammas *humiditatis tenuioris*, *ſubturbidæ* magis, quam *lacteæ*, quæ Medicis *Coloſtri* nomine venit, & à Natura optimo conſilio ſuppeditatur, quippe quâ infantis meconium vi particularum *ſalinarum* atque *ſeroſarum* detergentium optime expurgari poteſt. *Initio 4ti diei* poſtea *Lac genuinum* copioſe ſuccedit, mammas diſtendit, donec exitum inveniat, quem vero ſponte & impetuoſe non quærit & aſſequitur, ſed adjuvandum emulſiva preſſione & ſuctione, ſic enim meatus amplientur, ut lac ob ſuam ſpiſſitudinem ad ſtagnationem pronum facilius poſſit exſtillare. Sin vero exitus Lacti jamdum commode & copioſe ſecreto inter 2. 3. dies denegetur, diſſipatur & in poſterum ejus ſecretio ceſſabit & pertinaciter emanebit, donec *novo partu* obtingente, denuo ejus *productioni* occaſio ſuppeditetur. *Motum tonicum* præcipue materiam lactis ad mammas afferre & cogere quaſi, ex hoc etiam phænomeno liquet, quod fœminæ, quando lac in mammas irrumpere conatur, *tenſionem* ſentiant *trans axillas*, acſi reſtes à claviculis deorſum adverſus mammas adducerentur & extenderentur, id quod eſt tenſio per totum *tractum arteriarum* mammariarum & *tonus auctior* fibrarum ac partium *muſculoſarum & membranacearum* illis circumjacentium.

Coloſtrum.

Lactatio.

§. XIX. De *Lactatione* ipſa pauca adhuc diſſeremus. Nondum munere ſuo defuncta eſt mater, quæ prolem & in utero ſuo per ſatis longum tempus geſtavit, & laborioſo partu in lucem edidit, ſed natum porro Lacte, quod ipſi Natura ſubminiſtrat, *ſuſtentare* tenetur. In hoc autem negotio id faciat, ut *ante X. XII.* poſt partum *horas non*, imo *tardius* mammis admoveatur infans, donec *coloſtrum* collectum ſit, quod juxta Spigel. *Tr. de Form. Fœt.* C. XIII. *alimentum medicamentoſum* eſt, partim modice *nutriens*, partim per aliquot dies pro infantis imbecillitate *purgans*. Sub finem *tertii diei Lac* offertur *perfectius*, quod dein in poſterum ſemper continuatur. De oblatione jam deceret *regulas* apponere, quibus vero nulla matrum unquam ſe alligat. Communiſſime Mammæ præbentur *ſummo mane* in lecto, *hora octava*, *circa meridiem hora veſp. quarta*, & *noctu* ante ſomni tempus, adeoque *quinquies* per diem lactatur infans, ſed inter hæc tempora ſæpius etiam admoventur infantes, ut fletus compeſcatur. Id tamen huc addendum eſt, per primos menſes *ſæpius*, & ſucceſſive usque *rarius*, infantem lactandum eſſe donec a lactis uſu removeatur, quod ubi dentes eruperunt, ſponte Na-

tur

tura averſantur. Inter lactationem vero uſus *pultium* minime excludatur, imo quo magis augeſcit infans, eo plus ipſi offeratur pulmenti ex lacte & farina triticea aut ſecalina puriore probeque deſiccata confecti, & poſt aſſumtam pultem mammas præbeat mater, ut ſic pulmentum probe diluatur & facilius concoquatur. Quodſi v. mater ipſa ſ. *ob morbum* lactare non *poſſit*, ſ. *nolit* alias ob cauſas, & *nutrix* ſubſtitui debeat, circumſpecta hujus ſit *Electio*, & obſerventur ſequentia. 1.) Nutricis *complexio* quo magis cum illa matris ſymbolizat, eò melius eſt. 2.) Nutrix, quæ infantem *robuſtiorem* nactenus nutrivit, inepta eſt ad lactandum *minorem & delicatulum*, quia lac præbet *nimis craſſum & nimium nutriens*. 3.) nutriatur cibis *tenuibus*, ſed non citra conſuetudinem. Porro, *mammas* ſemper debito *calore foveat*; corpus decenter *moveat*; abſtineat ab *animi affectibus ira, triſtitia, mœrore, atque à venere;* fugiat, quæcunque *chylum crudiorem* & craſſiorem generant, *ſpirituoſa, vinoſa;* laboret, ut alvus ſemper ſit aperta; *Juſto & ſtato ſemper tempore* mammas præbeat, ſed non *nimium*, plures enim infantes ex alimentorum *copia*, pauciores ex *defectu* laborant; Lactis defectum non *celet*; *& q. ſ. a.* Præcipue inquiratur, annon *infecta ſit* miasmate venereo, ne malum in infantem transferatur? qualis ſit ejus *vita?* & qualis ſit ratione *animi pathematum?* Lac ipſum recte quidem ope *ſenſuum externorum* examinatur, ſed hac ratione *vitia inſenſilia*, ſc. *ſeminium morboſum, character moralis vitioſus*, non poſſunt hariolari, adeoque lactis conditio è nutricis *vita & conſtitutione* æſtimanda, & ſi *infanti* ipſi etiam conducat. Pro *temperamentorum* ratione admodum *diſcrepat Lac*, *ſanguineæ* enim lac habent craſſum & butyroſum; *Melancholicæ* caſeoſum; *Cholericæ* calidum magis; & *Phlegmaticæ* ſeroſum. Nonnulli lac nutricum emulctum ope ſpiritus vitrioli præcipitant, ac deinceps & craſſum concrementum & fluidum, ſtatera ponderant. Aliàs *lactis laudabilis* requiſita in hiſce ponuntur. *Sit Lac coloris exalbo ſublividi, ſimulque clari & quodammodo ſplendeſcentis, ſaporis dulcis, ejusque gutta unguis dorſo inſtillata non ſtatim diffluat, neque nimis diu in ungue hæreat, ſed ſecedente primum parte ſeroſa* remaneat butyroſa. Plura vid. *in diſſ. Stahl. de Requiſit. bonæ nutric.* & Fr. Hoffm. *Medic. Syſt. Tom. 1. p. 457. &c.* Requiſita bonæ nutricis.

§. XX. Neque incongruum videtur pro clauſula annectere quædam, quæ ad *Jurisprudentiam Medicam* pertinent. *Quinque* igitur potiſſimum *Caſus* ſunt, in quibus Medicos renunciare oportet. I. Ubi *vaſa mammaria vulnerata* fuerunt. In his conſideravit *hæmorrhagiam incöercibilem, ſanguinis in thoracem profuſionem, circulationis ſubſequam* Quæſtiones quædam Forenſes.

 im-

impeditionem, *& vulnerati ſuffocationem* Teichmeyer in *Inſtit. Medic. Legalis Cap. XXIII. p. 216.* & proinde vulneribus *per ſe lethalibus* annumeravit, cum quo conſentit Bohn. *de renunc. vulner.* p. 33. Atvero *diſtinguenda* ſunt vaſa juxta §. XIII. *Arterias* ergo *in pectoris cavo* decurrentes ob ſymptomata jam enarrata omnino *lethaliter* vulnerari, exiſtimamus, quia neque manus auxiliatrices eas *ligare*, neque *Styptica* remedia ſufficientia iis applicare, aut *cauteria* pro inurenda eſchara admovere poſſunt. Imo nequidem *cognoſcitur* ſemper vulnus arteriæ mammariæ, ſed ſanguinem profundi ex *alio* vaſe profundius ſito, & vel peritiſſimus ſibi aliisque perſuadere poteſt Chirurgus, uti ante aliquot menſes Legali Inſpectioni cadaveris in pectore vulnerati adſtiti in Theatro Anatom. Argentoratenſi. Vulneratus iſte ſex, niſi fallor, dies poſt acceptum vulnus ſuperſtes, nulla quidem notabilia ſymptomata ſuſtinuit, præter largam & ſæpius recrudeſcentem hæmorrhagiam, ſed de vulnerata arteria mammaria nemo ante obitum cogitavit, donicum Inſpectio mortui id detexerit. E contra *Venæ mammariæ*, aut potius *thoracicæ* abſciſſionem *abſolute lethalem non credidero*, cum *hæmorrhagia* externis ſtypticis non incommode ſiſti queat, eò magis, cum hæc vena non tam ampla ſit, uti vena jugularis, cujus hæmorrhagias enormes ſtypticis & deligationibus ſuppreſſas, ipſumque vulnus feliciter intra tres hebdomadas curatum novi in Xenodochio Regio Argentinenſi. Quod *vaſa exterius in pectore ſita* attinet, horum hæmorrhagiæ utique multo commodius coerceri poſſunt, adeoque *ne periculoſis quidem* accenſenda ſunt vulneribus.

§. XXI. Quando II. de *virginitate deflorata* quæſtio eſt, ſignum etiam deſumi ſolet ex *colore papillæ* in illæſis roſeo, vivido, poſt coitum verò mutato; nec non ex *ſoliditate mammarum*, ſed utique *fallax* hoc eſt utrumque, minus enim rationi conſentaneum videtur ab uno alterove coitu hanc mutationem induci poſſe, imo etiam præſentem à laſcivis titillationibus & contrectationibus ortum traxiſſe, ſuſpicari licet. Sic quoque III. *dubium* ſignum *Imprægnationis occultatæ* præbet *Lactis in mammis præſentia, earumque protuberantia.* Superius enim jam provocavimus ad exempla Virginum, inpr. in obſtructione menſium, juxta *Hipp.* §. 39 v. 5. marium & vetularum, lac in mam̃is tumidis habentium. Interim ſi tale quid obſervetur, robur reliquorum ſignorum magis certorum omnino auget. III. In *Imprægnatione fictitia* Lactis & mammarum Turgeſcentia itidem *fallit*, niſi evidentiora de graviditate ſuppetant teſtimonia, cum ſæpius dentur non gravidæ, quæ

mam-

mammas habent elatas & liquorem lacteum fundentes, & ſicciores gravidæ utplurimum tale phænomenon non exhibeant. IV. In *inquiſitione abortus atque partus* circa idem hoc ſignum obſervandum eſt, ut *Lac puerperæ ſolicite diſtinguatur ab illo Lactis proventu juxta Hipp. modo cit. §. 39. S. V. obvio.* Illud enim, quod puerperæ fundunt, tum reſpectu *quantitatis* multo copioſius eſt, tum ratione *qualitatis* tale eſt, quale deſcripſimus §. XVII. cum e contrario non menſtruatæ liquorem ſaltem ſeroſum & quidem parciorem offerant. V. *Lactantes* ab omni *torturæ* genere excipiuntur, *α)* ob facilem vaſorum mammariorum læſionem. *β.)* Ob metum hæmorrhagiæ uter. *γ.)* Ob jejunium, quod ſine lipothymiæ periculo ferre nequeunt, jejunos enim torqueri jubent JCti. *δ.)* Ob præjudicium, quod inde caperet infans, nempe nutrimentum neque ſufficiens, neque laudabile. *ε.)* Ob animi pathemata concurrentia, terrorem ſcil. atque timorem, à quibus tam in lactantem, quam in alumnum varia redundarent mala, præſertim motus convulſivi. Adeoque nec ſola *Territio*, tanquam primus & levior torturæ gradus, ſive verbalis, ſive realis, locum in iis habere poteſt. Plura prolixius recenſita vid. apud Scriptores Medicinæ Forenſis.

Sectio II.

Pathologiam deſcribens.

MAmmæ atque Lac ipſum in iis generatum cum multas ob cauſas partim internas partim externas varii generis morbis exponantur, idcirco non Medicam ſolum, ſed & Chirurgicam ſæpenumero opem poſtulant, quam, ſi dextre ferre velit Medico-Chirurgus, talium morborum cognitionem atque dignotionem ut habeat accurate perſpectam, neceſſe eſt. Et cum in eo jam ſit, ut in hac Sectione eorum hiſtoriam pertractare velimus, commode inſtituimus diviſionem *triplicem*, ſcil. in *morbos Papillarum*, *Mammarum* atque *Lactis*. Ad ſtatum igitur p. n. recenſemus *Exceſſum Papillarum in numero*, referunt enim paſſim obſervationum collectores mammam nunc unam nunc utramque, *duabus*, *tribus*, imo & *quatuor* papillis inſtructum, vid. *E. N. C. D. I. A. II. p. 133. & 396. D. II. A. p. 40. app. D. II. A. X. p. 228. Ann. II. O. 72. D. I. A. IX. & X. p. 45. Borell. Obſ. 49. &c.* E contrario plane eas *defeciſſe* teſtantur, hancque abſentiam nutricem ineptam

Papillarum numerus auctus.

Defectus earundem.

eptam reddidiſſe ad lactandum *E. N. C. D. II. A. X. O. III. D. III. A. IV. O. 107. D. I. A. V. p. 67. app. &c.* exemplum tamen *ſine papilla lactantis* habet *E. N. C. D. II. A. V. p. 67. app.* Quemadmodum ergo hæc talia à primis annis in utero jam contrahuntur, ita ætiologiam quoque admittunt, uti reliqua conformationis vitia in matrice acquiſita. Defectus vero alias quoque cauſas agnoſcit, nempe exulcerationem, exeſionem, abſciſſionem, imo & præmorſionem. Hiſce connatis morbis accenſeri poteſt *magnitudo* papillæ vel *aucta*, uti in puella 12. annorum mire protuberantes & magnas deſcribit *E. N. C. D. III. A. I. O. 13.* vel *imminuta* nimium. Priori in caſu infans perquam difficulter, interdum plane non lactere poteſt, quia os ipſi nimis eſt dilatandum, ſicque ſugendi potentia valde minuitur, aut oſculo ſuo parvulo papillam talem excipere nequit. Sin vero juſto minor ſit, ori infantis ſeſe ſubducunt, quales ſæpe obſervantur in *primiparis*, quibus nimis profunde adhuc in mammis hærent, & ſufficienter protenſæ non ſunt. Hujus vitii culpa frequenter eſſe ſolet nimia veſtium & thoracis compreſſio, & ſi mulierculis credendum, neglecta expreſſio liquoris illius lactei ex recens natorum mammillis.

[Margin: Papillæ nimis magnæ. — nimis parvæ.]

§. II. *Tubuli lactiferi* in papillam terminantes quandoque ſunt vel nimis *patuli*, ut lac effluat involuntarie, vel nimium *coarctati* ſunt, unde magna lactendi oritur difficultas, quales mammas in vernacula *hartziehige Brüſte* appellant. Vel plane *imperforati* ſunt ſive à nativitate, ſive a muco viſcido, ſive à lactis coagulo, quorſum diſponit naturalis anguſtia, ſive compreſſi à vicinis tumoribus & obſtructi coaluerunt, ſive in cura papillæ exulceratæ, ſibi agglutinati & clauſi ſunt. *Rhagades ſ. Fiſſuræ* papillarum ſunt ſulci & ſciſſuræ ulceroſæ papillas non ſolum, ſed & interdum areolam findentes, ichorem vel ſanguinem, ſi recentes fuerint aut irritentur, plorantes, ſtipatæ acerbiſſimis doloribus ob papillæ ſenſibilitatem, qui præc. à ſuctione exaſperantur. Si magna talis adſit fiſſura & fere tantum unica, *Fovea* dicitur. Coincidunt cum hiſce fiſſuris *Excoriatio*, ſ. abraſio ſuperficiei, atque *Exulceratio*, quæ profundior eſt. Ortum ſuum debent infanti papillas nimis avide & vehementer apprehendenti & adductis gingivis, quandoque dentibus inſtructis, prementi & mordenti, id quod multis *Ludovici XIV. Gall.* olim *Regis* nutricibus accidiſſe, notavit Dionis & Verduc. in *Operat. Chirurg.* vel cum infantis ſaliva acrior fibrillas vellicet & ſucceſſive arrodat, unde quandam hyſtericam ſiſtunt *E. N. C. D. III. A. III. & IV. O. 106.* Si infans laboret aphtis oris, ubi

[Margin: Tubuli nimis patuli: vel nimis anguſti: vel plane impervii. — Rhagades ſ. Fiſſuræ. — Fovea. — Excoriatio atque Exulceratio.]

per

per contagium ſimul afficiuntur papillæ, quanquam aphtæ infantis etiam effectus eſſe poſſint papillæ exulceratæ. Accuſanda etiam ſæpius eſt papillarum teneritudo, & ſic ab infante paulo fortius ſugente facilis læſio, primiparis & junioribus, papillis ſimul profunde hærentibus, familiaris. Sanguis item vel vi calidioris temperamenti, vel à potu ſpirituoſo, aliave de cauſa commotus, hinc febricitantes non raro talia experiuntur, ab aucto enim ſanguinis calore dehiſcunt papillæ, uti terra ab æſtu ſolis. Equidem præter ſummas moleſtias parum periculi portendunt, ſed niſi ab initio congrue tractentur & infans arceatur, curatio eſt difficilis, imo neglecta aut perverſe tractata hæc ulcuſcula partes magis corrumpunt, & papillas ſucceſſive plane abſumunt, ut fruſtulatim decidant, & fœmina poſtea ad lactationem prorſus inhabilis reddatur.

Defectus Lactis plenarius, & Imminutio.

§. III. Priusquam ad mammarum affectus progredimur, *Lactis ſtatum p. n.* conſiderabimus. Sicuti vero in priori Sectione jam qualitates & requiſita laudabilis lactis deſcripta ſunt; ita hic facile nunc erit vi oppoſitorum cognoſcere ipſius qualitates vitioſas. Primum locum teneat *Defectus Lactis*, qui vel *totalis* eſt, ſeu plenaria ejus *ſuppreſſio*, ubi nihil plane lactis mammas ingreditur, aut per eas excernitur, vel *partialis, ſeu imminutio*, quando minor, quam ad fœtum nutriendum requiritur, ejus copia adeſt. Spectat huc etiam, ſi *una tantum mamma* lac generat. Cognoſcitur tale malum, quando mammæ flaccidæ ſunt ac pendulæ, minus turgent, & Lactis parum vel nihil poteſt elici, infans modo à mammis remotus, tamen denuo ejulat & inquietus eſt, utut magno hauſtu lac ingurgitaſſe videatur, lintea ſubſtrata parum & fere nunquam madefacit, corpore non creſcit, ſed extenuatur. Cauſa vel eſt vitium & defectus materiæ, è qua Lac generari ſolet, vel vitium mammarum. Sic macilentæ, teneriores, calidiores, cholericæ, nimium ſudantes, febricitantes, nimiis vigiliis & laboribus defatigatæ, morbis gravioribus decumbentes, parum comedentes & bibentes, vino, acidis, medicamentis lac reprimentibus aut diſcutientibus utentes, affectibus animi indulgentes, nunc imminutionem nunc plenariam patiuntur lactis ſuppreſſionem. In ſpecie attendendus hic eſt *uterus*, eæ enim, quæ largam uteri hæmorrhagiam quamcunque ſuſtinent, ſemper parum lactis alunt, ut & illæ, quæ denuo ingravidatæ ſunt. Huc vero non pertinet emanſio lactis in iis, quæ diu jam lactationis negotio vacarunt. In culpa ſunt mammæ ipſæ, nimia pinguedine obſeſſæ, unde in vulgus notum, *die fleiſchigte Brüſte haben*,

geben am wenigſten Milch. Si ob ſenium, tardum connubium, vel externam thoracis & mammarum conſtrictionem, tubuli lactei & mammarum ſubſtantia lactis materiæ aditum denegent. Si mammæ parvæ, minus poroſæ, nodoſæ, ſcirrhoſæ fuerint. Si infans ipſe morbo aut laboret, aut abreptus ſit, & lactere deſinat, unde præſagium illud de morte infantis ab hoc phænomeno petitum explicandum eſt. Lochiis rite fluentibus, puerperis quidem nihil mali à lactis defectu imminet, interim infans ſuo nutrimento deſtituitur. Quo facilius cauſa tollitur, eò felicius curatio ſuccedit, quæ, ſi vitium organicum adſit, difficulter obtinetur.

Abundantia Lactis.

§. IV. Huic contraria eſt *Abundantia*, quâ lac nimia in quantitate ſecernitur, & veluti cum impetu ad mammas defertur, cujus ſtupendum exemplum narrat Weinrich *de Ort. monſtr.* puerperæ Uratislavienſis, quæ quotidie XII. libras lactis fudit, aliaque E. N. C. paſſim. In hoc ſtatu mammæ turgeſcunt, & tument eò magis, quo minus exſugitur, ſponte Lac effluit citra voluntatem, dolor adeſt gravativus, moleſtus, usque ad ſpinam dorſi ſeſe extendens, ut brachium movere nequeant. Contingit autem in fœminis optimæ valetudinis, plethoricis, diæta lauta, evchyma, otioſa, abutentibus, imo in macilentis frequentius, quam ſucculentis & carnoſis, ſiquidem multum dependet à mammarum & tubulorum conſtitutione, qua nonnullæ panis ſiccioris vix ſat habentes, multum lactis generant. Familiare incommodum iis eſt, quæ infantem, qui alias fortiter ſuxerat, rarius mammis apponunt, vel ſi infans ob debilitatem aut ægritudinem parum lactis abſumit, adeoque mammæ non deplentur. Niſi mature feratur auxilium, lac exundans mammas usque magis diſtendendo, tubulorum & fibrarum crepaturam intendit, ſtagnans & coagulatum tumores, nodos, inflammationes, & hæc inſequentia fata minatur. Quo largius autem puerperæ lochia fluunt, eo minus fovet periculi. Sed neque infanti bona eſt exceſſiva lactis materni quantitas, dum enim ejus nimium aſſumit, facile in tenello ventriculo accidit Coagulatio, aceſcentia & ab acceſſu bilis acrioris qualitas corroſiva, de qua fæces & dejectiones virides, interdum linteamina arrodentes, teſtantur, aut quod communius obſervatur, à viſcido tali coagulo enaſcitur obſtructio glandularum meſaraïcarum, quæ atrophiam infert. Male ergo in proverbium ceſſit, *Spey-Kinder, Gedey-Kinder*, ſiquidem vomitio robur quidem atque vigorem Naturæ lac nimis copioſum reddentis ſignificat, ſed non ſemper ſuccedit & actu erumpit, unde crebrior eſt metus malorum. Cæterum *Effluxus involuntarius*, quem Lactis

Effluxus Involuntarius.

ctis abundantiæ jungi diximus, etiam ab aliis cauſis originem trahit, nimirum tubulorum oſtiolis nimis patulis vel naturâ, vel ab alterato tono, uti ab animi pathematibus citra voluntatem lac promanare ſæpius obſervatur; Vel quando Lac nimio ſero dilutum in mammis ſecernitur. In genere bonum quidem eſt, augeri lactis copiam, cum infans ipſe indies incrementa capiat, & plus nutrimenti expoſcat, ſed præſens effluxus involuntarius, ſi diu durat, ſæpius corporis contabeſcentiam & debilitatem poſt ſe trahit.

§. V. Quando Lac poſt geneſin ſuam in mammis in partes ſuas diſſolvatur, ita ut craſſiores coeant, tenuiores autem per vias quaſcunque dilabantur, tunc hic affectus dicitur *Concretio Lactis*, quam diſtinguunt nonnulli in *Coagulationem*, *grumefactionem*, *ſive thromboſin*, quâ Lac in grumos agitur, *& tyroſin*, *ſ. caſeationem*, ſi in caſei ſpeciem degenerat. In utraque ſpecie adeſt Lactis defectus, mammarum tenſio, tumor nunc major, nunc minor, modo plus, modo minus durus, interdum unicus, ſæpius plures, vel viſu vel tactu explorandi, cum dolore gravativo, nonnunquam pungitivo. In ſpecie caſeationem dignoſcere volunt à grumefactione, in illa durities quaſdam latas & planas, in hac vero grumos tubercula formantes inæqualia, ſtatuentes, & nimis frigefacientia thromboſin, tyroſin vero calefacientia & ſeroſam lactis partem diſpellentia, producere credentes. Si jungatur Rubor & dolor pulſatilis, inflammatio imminet, plerumque in abſceſſum degenerans. Quo magis levis & ſimplex eſt coagulatio, eò facilius medicamentis cedit; Quo diutius autem durat, eo magis in acredinem abit, inflammationes, abſceſſus, ulcera cacoëthea, ſcirrhos, imo & cancrum poſt ſe trahit. Coagulum lactis, ſi fiat ab animi paſſionibus, utplurimum profunde mammas occupat, ac ſuperficies fit eryſipelacea, & diſcuſſo licet eryſipelate, tamen reſtant nodi, qui vix niſi ſuppuratione facta curantur, vel in ſcirrhum tranſeunt. Non autem confundenda eſt Lactis Concretio cum *duritie mammarum à lacte copioſo* pariter dolorifice diſtentarum, qualis ſtatus in puerperis ſæpiſſime obſervatur. Hîc enim æqualiter, ſed illic inæqualiter tument mammæ. Multum in generando hoc malo præter Lactis abundantiam valent Animi pathemata, Terror ſubitaneus & Ira, item Tranſpiratio à frigore, inprimis poſt ſudorem, impedita, quibus partes conſtringuntur, & Lac incarceratur. Febres, vel horrore, vel ſanguinis & humorum commotione, vel abſumtione ſeri etiam multum huc faciunt. Coagulatur etiam Lac à cibis acidis, nimis ſalitis, auſteris, dyſpeptis, braſſica muriatica,

Concretio Lactis.

tica, & quæ facile aceſcunt, dulcibus, mellitis, fructibus horræis, &c. Interim miranda eſt multarum lactantium *idioſyncraſia*, quæ obvia quævis ingurgitant, absque eo, ut inde lacti malus character imprimatur.

Lactis Tenuitas aquoſa.

§. VI. Quodcunque Lac in unguem digiti guttatim emulctum inſtar aquæ ilicò defluit, & cochleari exceptum ſubcoeruleum eſt, atque plurimum ſeri, parum vero cremoris præbet; Illud juſto magis *fluidum & ſeroſum* eſt judicandum. Differt tamen à Coloſtro, quod primis poſt partum diebus in mammis præſtò eſt. Fundunt tale Lac, quod non modo infantem non nutrit, ſed ipſi ſæpius diarrhoeas excitat, fœminæ, in quibus ſerum abundat, phlegmaticæ, cachecticæ, multum bibentes & aquoſo victu, oleraceis, ſe ſuſtentantes, vetulaſcentes, &c. Quodſi vero Lac unguis dorſo inſtillatum congrumatum quaſi ibi hæret infixum, in vaſculo collectum ſtatim coagulatur, quamprimum emulctum fuit, è mammis difficulter prolicitur, & mammas ipſas infarcit & turgefacit; tunc contrario modo vitioſum eſt, & dicitur nimis *viſcidum*, *craſſum & mucidum*, quale generatur in iis, quæ cibis bonis, multis, incraſſantibus, & chylum mucidum reddentibus utuntur, quæ ſufficientem potum & motum negligunt, quæ ſanguinem alunt viſcidum & mucoſum, quæ nimio labore, ſudore, &c. corpus ſero defraudant, mœrori, triſtitiæ & timori indulgent. Imminent exinde nutrici nodi mammarum, Lactis concretio, & horum conſectaria. Infans autem ſufficienti lympha non irrigatur, nulla incrementa capit, ſed continuo ejulat, agrypnia laborat, & obnoxius fit mucoſitatibus, inprimis pectoris, & glandularum meſaraicarum obſtructionibus. Præterea quandoque *ſalſedo, &glioſa flavedo atque acredo* Lac inquinare ſolet, cognoſcenda ex ſapore, imo & odore ac viſu, continua ſiti & vagitu infantis, ejusdemque averſatione, dejectionibus viridibus, glioſis, lintea arrodentibus. Culpa rejicienda itidem eſt in lactantem, ſi valde ſit cholerica, atque ad corporis animique excandeſcentiam prona, & delectetur cibis ſalſis, acidis, aromaticis, potu ſpirituoſo, largoque vinoſo. Id quod apud alumnos non poteſt non varios procreare morbos, v. gr. tormina, vomitus, diarrhoeas, aphthas, achores, favos, ſcabiem, intertriginem, exulcerationes, calores febriles, affectus anginodes, imo frequentiſſime ſpaſmos & convulſiones. Cum hoc lactis vitio conſpirat *Lac nimis calidum* à nimio aromaticorum, ſpirituoſorum, acrium & calefacientium abuſu, ubi plerumque circa areolam puſtulæ rubræ adſunt, quæ fere ſignum pathognomonicum conſtituunt. Ex una atque altera morborum hactenus recenſito-

Muciditas, Craſſities & Viſcoſitas.

Salſedo, & glioſa Flavedo atque Acredo.

Lac nimis Calidum.

itorum ſpecie oritur *Lactendi Difficultas*, & *Impotentia*, quando Lac n mammis quidem præſtò eſt, ſed vel ob viſciditatem, vel coagulationem, vel tubulorum anguſtiam aut occluſionem, vel papillarum defectum ab infante exſugi nequit. Difficultas Lactendi.

§. VII. Inter lactis vitia non infimum occupat locum ejusdem *Character morboſus*, i. e. talis lactis diſpoſitio, qua mediante non tam in nutriculam, quam potius in infantem varii generis morbi una cum lacte derivantur & transplantantur. Nimirum in lactante præſ. morbis ſeroſis laborante, ſcabioſa, ſcorbutica, venerea, &c. non poteſt non lac generari iisdem pravis & morbificis particulis ſcatens, quod ſi hauſerit infans, alienam luere culpam tenetur, cujus rei notanda exempla mihi oblata fuere Argentorati tam in Xenodochio civitatis, quam Orphanotropheo, quorum tamen enarrationi hîc ſuperſedeo. Hoc ipſum eſt, quod Helmontio anſam dedit lactationem adeo reprehendendi, qui *in Tract. de nutr. fœt.* p. 622. præter corporis morbos præcipue animi pravos mores cum lacte infanti in hæreditatem cedere, teſtatur, & ſe obſervaſſe, ait, ſæpius ſalaces, furtivas, avaras, iracundas, aliasque perverſe moratas in lactentes quoque eandem morum malitiam propagaſſe. Eccui ignotum eſt, non dubitare Medicos quærere originem vermium etiam in Lacte nutricis, cum quo fœdum illud vermium ſeminium in infantis corpuſculum transferri opinantur, cum ſæpius offerantur infantes non niſi lacte materno enutriti, & nihiloſecius vermibus divexati. Hinc eſt, quod *Ill. Stahlius* alicubi ſevere injungat, ne ad lactationem admittantur, quas verminoſas vel eſſe vel fuiſſe conſtet, & abſente licet ſuſpicione de vermium præſentia, nihiloſecius præcautionis ergo eas purgare jubet & exhibere ipſis anthelminthica. Lactis Character morboſus.

§. VIII. Præter jam adductas cauſas ad Lac morboſum reddendum ſymbolam ſuam præprimis conferunt *animi commotiones graviores*, ubi in mentem redit problema illud, quod diſputationi meæ *de Efficacia animi Pathematum in negotio ſanitatis & morborum*, *Ann.* 1724. *ſub Præſidio Excell. Dn. D. Alex. Camerarii* heic *Tubingæ* habitæ, inter corollaria adjeceram, *Lac nutricis per animi motus morboſum fiens an turbetur? an inficiatur?* Id quod opportuna hacce occaſione reſolvere animus eſt, & utrumque modum admitti poſſe, cenſeo. Ab *iræ* enim exceſſu non tantum turbari, ſed & infici particulis bilioſis cum ſanguine ad mammas delatis, probant & ſatis ſuperque teſtantur graviſſima, quæ

in infantem tale lac imbibentem redundant, mala. Animam commotam primario in nervoſum Syſtema agere, in diſp. citata adſtructum eſt. Jam cum fiat in hac animi commotione celerrima nervorum contractio, toni intenſio, & impetus in partes nerveo-muſculoſas, in ſpecie vero in ductus bilioſos, è quibus bilis magna in copia in inteſtina atque ex his in M.S. effunditur, cum qua uti ad alias partes, ita etiam ad mammas appellit, ubi lacti, quod ſimul à fluido nerveo commotum & alteratum fuit, ſeſe inſinuat, hac admixtione autem Lac & turbari & infici neceſſe eſt. In *moerore* ob continuum actionum vitalium languorem varia vitia derivantur & in partes ſolidas & fluidas, quæ ſucceſſive vappeſcunt, multiplicesque impuritates contrahunt, bilis quoque non ſimultanee quidem, ſed pedetentim tamen & continuo commovetur, quæ M.S. jam antea male conſtitutæ affuſa lac utique non poteſt non & turbare & inficere, atque ſ. p. Ita ex Anatomia comparata obſervationis frequentis res eſt, in vaccis à tonitru improviſo lac in uberibus etiam coagulari & depravari, id quod terrori haud ſine ratione adſcribitur, quippe quô partes conſtringuntur, & tubuli anguſtantur à fibris nerveis mammas percurrentibus. Ecquid quæſo! eſt, quod magis lactis generationem & impediat, & generatum diſſipet, ac quidem *terror?*

Febris Lactea.

§. IX. Reſtat adhuc, quæ omnium primo nominari potuiſſet loco, *Febris Lactea*, ſpecies *Ephemeræ*, quæ primis mox à puerperio diebus quamplurimas matres vexare ſolet horroribus, (unde in Junckeri *Conſp. Med.* Tab. CXXXVI. dicitur quaſi καθ' ἐξοχὴν *Horrores Lactis, Milch-Schauer,*) cum ſubſequo calore totius plus minus intenſo, pulſu, aliisque ſymptomatibus febrilibus. Conjunctum habet mammarum calorem, intumeſcentiam, dorſi dolores, inquietudinem, vigilias, laſſitudinem, appetitum imminutum. Ingruit hanc potiſſimum ob cauſam, ut materia nutrimenti, quod hactenus fœtus in utero acceperat, ab hoc deferatur ad mammas, è quibus jam in lucem editus pro ſuſtentatione ſua ulteriore lac hauriat. Ut autem hoc fiat, motus *tonici*, ad quos in febribus omnibus ferè unice reſpiciunt Stahliani, augendi & ſpeciatim ad mammas dirigendi ſunt, unde modo dicta eveniunt ſymptomata, & quidem eo certius, quo difficilius ob mammarum *ſtricturam & anguſtiam* humores ibi locorum congeruntur, at vero ſemel acquiſita vaſorum dilatatione & tubulorum permeabilitate in poſterum lactis ſecretio expeditius abque tali notabili toni intenſione ſuccedit. Ex his colligere facile eſt, febrim ipſam in ſe *neque periculoſam* eſſe, *neque diu durare* poſſe, niſi

perti-

pertinaciter ſuppreſſis lochiis exaſperetur, & accedat *febris Lochialis*, quæ inclinat ad acutam periculoſam. Latitat etiam quandoque *malignitas*, atque ex improviſo febris Lactaria tranſit in *purpuram*. Horrores atque febris diaria etiam comitantur malum illud, quod *Trichiaſis*, *capillitium*, & Gallis *le poil* dicitur, & probe diſtinctum eſt à trichiaſi cranii, à trichiaſi palpebrarum, atque à trichiaſi renum. Mauriceau *dans le Traité des maladies des femmes groſſes & accouchées, Livr.III. Chap.XVII.* etiam Ariſtotelis opinionem, mammis inhærerere *pilum* per œſophagum prius deglutitum & huc delatum, muliercularum fabulis annumerat, per id autem, quod Gallicæ fœminæ le poil inter ſe appellent, intelligit *Lactis Coagulum* calorem atque dolorem in mammis punctivum, lactisque deficientem excretionem inferens. Conferantur ergo, quæ de Lactis Concretione ſuperius. Trichiaſis, Gall. le poil.

§. X. Accedimus jam ad *morbos mammarum* ipſarum, & miſſis rarioribus obſervationibus, de *numero* earum *excedente*, *de ſitu mutato*, de variis *impreſſis figuris & appendicibus* ut & *defectu* plenario, paſſim in E. N. C. Act. Erud. Lipſ. alibique deſcriptis, proponimus *Tumores & dolores*, quos ſuſtinent *infantes*, quando rec. natis non exprimitur ille *liquor* mammillis inhærens. Affliguntur etiam mammæ puellarum *ſororiantium*, & fœminarum *gravidarum dolore* quodam tenſivo & gravativo interdum punctivo, ubi *ſubſtantia* glanduloſo-vaſculoſa ab affluentibus humoribus *dilatari* incipit. Dantur etiam alii *Dolores errabundi*, medicamentis cedentes, ſed aliorſum progredientes, quos recte ad *rhevmatiſmos* retuleris, cum ſubjacentem *muſculum* pectoralem obſideant, non mammam ipſam, qualem ægram ſiſtunt E. N. C. D. III. A. V. & VI. O. 612. *Flacceſcentia* earundem *ſenſibus patet*, atque iis familiaris eſt quæ jam pepererunt, *Lac* enim tubulos ingreſſum diſtendit quidem mammas, ſed ſimul fibras *relaxat*, & quando tubuli lacte fuerunt depleti, ceſſat illa turgeſcentia, & mammæ propendent inclinatæ flaccidæ. Denotat tamen quandoque *atoniam* partium, atque *humorum* ad alia loca *translationem*, quemadmodum in ægrotis aut quibus imminet morbus, pendulæ obſervantur mammæ. Flaccidæ quoque reperiuntur in iis, quibus ſæpius *laſcivè* fuerunt contrectatæ, ubi quidem ab invitato ſpirituum influxu rigidæ fiunt, atvero quia inſimul ejuſcemodi frictionibus fibræ mulcentur & expanduntur, hinc diſperſis ſpiritibus collabeſcunt, atque ſucceſſive duriuſculum rigorem amittunt.

Morbi Mamarum. Tumor in infant. rec. nat. à neglecta expreſs. Dolores in ſororiantibus & gravidis. Dolores Rhevmatici. Flacciditas.

§. XI. *Tumores*, qui haſce partes infeſtare ſolent, mire inter ſe diſcrepant, & generatim ob mammarum ſubſtantiam poroſam & glanduloſam *curatu difficiles* ſunt. Illi, qui ab obſtructione ex *lactis coagulo* contingunt, dicuntur *Nodi*, qui niſi cito reſolvantur, inflammationis fata minantur. Sin vero extra lactationis tempus tales nodoſi tumores occurrant, à *lympha* potius inſpiſſata oriri creduntur, & appellantur *Scrophulæ* aut *Strumæ*, & ſcirrhi principium conſtituere videntur, quia temporis ſucceſſu in verum *ſcirrhum* abeunt, atque in *cura* à ſcirrho non differunt. Irritatæ autem facile *cancroſæ* redduntur. Neſcio, an jure ſuo huc pertineat *tumor* mammarum æqualis *à pinguedine* atque nutritione nimia oriundus, quales *Helvetiis* non raros eſſe, ſuperius dictum fuit. Talis autem collium lactifluorum moles ad *lactationem* aptiores non reddit, quoniam pinguedo nimia tubulis cæteriſque vaſis ſeſe expandendi ſpatium præripit. Rarius mammarum eſt *Oedema*, quod tumor eſt pallidus, indolens ab impedito *ſeri ac lymphæ* progreſſu originem ducens, digiti impreſſi veſtigium ſervans, ſenſimque iterum explanans. Impeditur autem ſeri liber progreſſus, quando nimis eſt *mucidum*, *ſpiſſum*, & ſi partes *atonia* laborant, in ſubjectis *phlegmaticis*, *cachecticis*, hydropicis, in quibus non niſi primario ſublato morbo tollitur.

Nodi. Strumæ & ſcrophulæ. Tumor à pinguedine. Oedema.

§. XII. Longe aliter ſe habent *tumores ſanguinei*, *inflammatorii*, *Eryſipelatodes*, & *Phlegmonodes*, oriundi à contuſione, compreſſione, terrore, lactis coagulo, poſt ablactationem, &c. uti in pathologia Lactis jam dictum eſt. Invadunt cum *horrore* & ſubſequente *æſtu*, doloreque pulſatili in mammis, quæ haud ita diu poſt calent, in ſuperficie rubent, dolores lancinantes, pungentes patiuntur, atque intumeſcunt nunc in toto ambitu, nunc in aliqua ſaltem parte ſuperiori, inferiore, aut laterali, cum tuberculis hinc inde duris. Adjungitur *febris Eryſipelacea* ex æſtu, capitis dolore, ſiti, pulſusque celeritate, cognoſcenda. Quo *levior* igitur inflammatio, febris, & concomitantia ſymptomata; eo major *diſcuſſionis ſpes* eſt: Quo autem *graviora* ſunt, & *reſolutio* non obtinetur; eo major eſt metus *ſuppurationis* & *abſceſſus*, vel uno vel pluribus in locis mammam perforaturi, qui niſi caute tractetur, *ulcus* formabit, pro humorum & reliqui Corporis ſtatu vel *benignum*, vel *cacoethicum*, cancroſi quid minitans. *Tumores* autem & *Ulcera verminoſa*, quorum plura deſcribunt E. N. C. v. gr. D. III. A. IV. O. 17. & 18. A. II. O. 210. D. II. A. V. p. 69. app. rariores ad morbos pertinent, B. ergo L. illuc remiſſum volumus. Inter fata inflammationum etiam huc pertinet *Scir-*

Tumores Inflammatorii. Eryſipelas. Phlegmone. Abſceſſus. Ulcus. Tumores & Ulcera Verminoſa.

Scirrhus, quando *ſanguinis ſtaſis* neque reſolvitur inſenſibiliter, neque in pus mutatur, ſed ſenſim ſenſimque *exſiccatur*, & cum ſubſtantia ſeroſo-mucida *indureſcit*. Attamen etiam ab aliis humoribus, *ſeroſo-lymphalibus*, lacte concreto, in mammis ſtagnantibus, ſpiſſeſcentibus, & partibus aquoſis exhalatis aut diſpulſis, ſicceſcentibus, efformari ſolet. Tumor hic durus eſt, & inſtar lapidis parti infixi *ponderoſus inhæret*, quo omnino ſpectat Obſervatio *talis coaguli lapideam duritiem nacti*, *E. N. C. D. II.* A. VI. p. 419. Cum itaque ſcirrhus vel *ſanguineus* ſit, vel *ſeroſus*, è re eſt, annotare differentiam, 1.) quoad ſigna: *Hic* enim cutis colorem non mutat, & fere indolens eſt, quamdiu in limitibus hæret, atque diutius ita perſiſtit; In *illo* vero cutis livet vel rubet, & dolores percipiuntur punctivi modo magis modo minus tolerabiles, magisque ad incrementum inclinat. 2.) quoad *eventum*: Scirrhus enim *ſeroſus* interdum reſolvi poteſt, non item *ſanguineus*, qui utplur. verus *Cancer occultus* eſt. Qui ab *interna* cauſa pedetentim proceſſit, etiam pejoris moris eſt, & maximos ciet interdum dolores. Quando igitur *ſymptomata*, tumor, dolor &c. *invaleſcunt*, id quod facile contingit ab animi commotionibus, refrigeratione, incongrua tractatione, præſ. menſtruis ſ. nat. aut p. nat. intimpeſtive emanentibus, omnino periculi plena res eſt, & nimis quam cito ſuccedit Cancer. Scirrhus.

§. XIII. Inter tumores & ulcera non modo *ægro* mille cruciatus parit, ſed etiam *Medentibus* labores Herculeos & plerumque irritos faceſſit *Cancer*, cujus hiſtoriam jamjam delineabimus. Cancer ſ. *Carcimoma* eſt *tumor mammarum*, *durus*, *inæqualis*, *ſcirrhoſus*, *ſenſim ſenſimque augeſcens*, *colorem cutis peregrinum*, *lividum aut ſubnigricantem & in ambitu venas ſanguine nigricante turgidas*, *varicoſas*, *offerens*, *conjunctus cum calore*, *citra tamen inflammationem*, *& dolore vehementi*, *utplur. corruptionem ſalſo putredinoſam ſubiens*, *vicinas partes corrumpens*, *exedens*, *labia calloſa*, *ſcirrhoſa præ ſe ferens*, *fundensque ſaniem teterrimam*, *fœtidiſſimam*, *vel ſanguinem nigricantem*, *& tandem corpus vel tabidum vel hydrope tumidum morti tradens*. Numerantur *quatuor* ejus ſpecies. Prima eſt *Cancer ſimplex* ſive *Occultus Hipp.* dictus. Altera eſt *Cancer apertus ſ. exulceratus*. Tertia *Cancer degeneratus*, quando ulcus antea benignum, poſtea depravatum cancri indolem induit, hinc *ulcus cancroideum* appellatur. Quarta denique eſt illa cancri ſpecies, quem *depaſcentem* vocant, quia omnem viciniam brevi devorat, & ægrum citiſſime interimit. Sed hæ duæ poſteriores ſpecies ad cancrum exulceratum referri

Cancer definitur. & dividitur in IV. ſpecies.

ferri poterunt. Tandem ſpecialiſſime Cancer eſt vel *mobilis*, qui magis in ſuperficie mammæ hæret, neque late neque profunde diffuſus, vel *immobilis*; profundius & latius mammam obſidens, imo & ad glandulas ſubalares atque ſubſtratos muſculos ſeſe extendens, eoque ipſo præ priori magis ſonticus, doloroſus, & periculoſus, minusque curabilis.

Cancer. Occultus. §. XIV. *Cancri occulti* primum rudimentum (*ſi ſponte veniat i. e. non à prævio nodo, ſcirrho,*) ciceris aut fabæ molem non excedit, quod ſæpe per annua ſpatia ita perſiſtit exiguum ſed durum, niſi diætæ vitiis, incongrua tractatione, animi paſſionibus &c. irritetur. Quo majus autem hoc tuberculum fit, eo magis in *colore* mutatur *cutis*, quæ primo rubet, hinc livet & usque magis obfuſcatur. Cum tumoris augmento incrementa capiunt *dolores*, quos exprimunt, eſſe acutiſſimos, ardentes, lancinantes, atque ex improviſo totam mammam qs. mille ictibus penetrantes. Hi quidem non continuo affligunt, cum interdum per dies, hebdomadas, imo menſes parum incommodi ſentiatur, ſed ab attactu, mammæ ab indumentis compreſſione, animi commotione, ſimul & ſemel iterum exaſperatur, id quod impr. tempore inſtantis menſtrui fluxus accidit. *Venæ* circumcirca tumentes & liventes aliquatenus cancri pedes præſentant, unde etiam nomen obtinuit, & quemadmodum cancer id, quod ſemel arripuit, ægre dimittit; ita & hic tumor partem, quam occupat, non facile deſerit. Quodſi calor in mamma eſt ingens, dolorque pulſatorius, vibratilis, punctivus, Venæ in circumferentia magis infarciuntur, & reliqua etiam ſymptomata redduntur graviora, tum in eo jamjam eſt, ut cutis ab ipſo perumpatur, & ex cancro occulto jam fiat cancer manifeſtus.

Cancer Exulceratus. §. XV. *Cancer* itaque *Apertus ſ. Exulceratus* eſt *ulcus* aſpectu horrendum cavernoſum, ſpeciem *carnis corruptæ* exhibens cum *labiis* prætumidis, inverſis, calloſis, ſcirrhoſis vel lividis vel atro-rubentibus, fundens *materiam nunc craſſam*, viridem, nigricantem, aliove tetro colore imbutam, ſpargens *fœtorem* cadaveroſum, acido-putrilaginoſum, *nunc fluidiſſimam*, ut plura lintea impoſita brevi pervadat, ſimul vero inſtar aquæ fortis *acerrimam*, ut lintea corrodat, cutim excoriet, & cum alcalicis adſperſis effervеſcat. Nonnunquam largè cum ſumma virium proſtratione profunditur *ſanguis* nigricans, velut aduſtus, ſi *vaſa* ſanguinea eroſa fuerint, vel *menſes* fluere deberent, qui in hoc teterrimo ſtatu per mammam exulceratam exitum ſibi parant. *Ambitus* ulceris *modo* durus

durus eſt, inæqualis & tuberculis obſitus, *modo* mollis & à levi attactu cuticulam deponit, mox foraminulis perforatur, è quibus ſcaturit ichoroſa ſanies quam maxime cauſtica. E fundo vel lateribus ulceris proveniunt nonnunquam *excreſcentiæ*, abſcedunt etiam plura fruſtula & filamenta. *Vaſa ſanguiveha* magno ſanguinis è rubro nigricantis infarctu diſtenduntur, & longius varicoſum in modum exporriguntur. Pergit ſæpius malum ad *alteram mammam*, neque in priorem ſævire ceſſat. Extenditur quoque ad *glandulas ſubaxillares*, quas ſcirrhoſum in modum obſidet. Sub his circumſtantiis *partes vicinæ propinquæ* vel ſucceſſive & tardius, vel citius miſerrime *depaſcuntur*, non ſolum mammæ, ſed & ſubjacentes muſculi & pectorales & intercoſtales, adeo, ut & oſſa aggrediatur, coſtarumque cariem producat. *Remotiores* autem, collum, brachium atque latera vel oedematoſe tument, vel tabe conſumuntur. Interim *dolores* modo magis modo minus affligunt, durant per plures dies, imo per integras ſeptimanas fere ſine ulla remiſſione, pungentes, lancinantes, acſi mille aciculis perfoderentur, atque in aliis quoque corporis partibus, præſ. *artubus* percipiuntur pariter lancinatorii; aliàs per æque longum tempus absque notabili exacerbatione ſilent, protinus redeuntes, prouti animi pathemata, diætæ errores, tempus menſtruum, aëris mutationes, &c. id ferant. Adeſt *animi* perpetua *anxietas*, inquietudo, ad lipothymiam usque, quæ frequentior eſt, quò profundius malum pectori adhæret. *Somnus* vel nullus eſt, vel brevis & crebrioribus inſomniis terrificis interpolatus. Omnes *actiones vitales* languent, *Appetitus* proſtratus eſt, & ab omni cibo paulo liberalius ingeſto pejus ſe habent. Jungitur *febris hectica* gravior, corporis extenuationem inducens, vel hujus loco abdomen cum reliquis partibus hydropicum in modum intumeſcit. Tandemque omnium malorum clauſula eſt *Mors*.

§. XVI In *Ætiologia* maligni hujus tumoris atque ulcerationis & juxta hanc conformi adornanda therapia anxii ſemper deſudarunt & *Veteres & Recentiores*. *Illi* duplex venenum, unum *putrefactivum*, alterum *corroſivum*, agnoverunt. *Hi* autem varia accuſarunt, *modò* interruptam ſanguinis per mammas circulationem; *modo* particulas ſanguinis acidas, acres, terreſtres, (*quas humori veterum melancholico ſubſtituiſſe videntur*) *modo* lac aceſcens & acidi arſenicalis naturam induens; *Quidam* acidum volatile fermentativum; *Alii* aliis modis fœdiſſimam hanc corruptelam explicare ſatagerunt. Sed tam *ulceris* conditio ipſa, quam *mate-*

materia inde promanans evincit, quod *corruptio* iſthæc cancroſa *duplex* ſit, una *ſphaceloſa*, ergo ſanguinea, altera *fermentativa aceſcens*, ergo ſeroſo-lymphalis. *Illa* quidem ſola ſibi relicta brevi tempore corruptioni finem accerſeret, niſi *ſeroſo-ſalina aciditas* vim ejus lethiferam refrænaret, ſimul vero hæc ipſa à concurrente illa putrilagine ita acuitur, & cauſtica redditur, ut non ſolum tubulos, quibus impacta hæret, exedat, ſed & partes circumjacentes, quas quas attingit, adurat, indeque dolores atrociſſimos, partium mortificationem, ichoris flaveſcentis, aliusve fœdiſſimæ materiæ cum fœtore intolerabili effuſionem gignat. Iſthæc corruptio an ſolummodo *in mammis* reſideat, an vero ipſam etiam *maſſam ſanguineam* infecerit, dubium reddere volunt. M. S. non immunem eſſe, exinde apparet, quia 1.) adeſt *cachexia* corporis, & 2.) concurunt *dolores* lancinantes etiam in aliis locis remotis, præſ. in *artubus*. 3.) mamma una licet exſtirpata fuerit, labes tamen *alteri* affricatur. Illud, *vitium* nempe tantum *locale* eſſe, videtur Chirurgis expertiſſimis ſecund. Garengeot. *Cours d' operat. de Chirurg. Chap. 29.* cum mature extirpato cancro vanus *recidivæ* metus ſit.

§. XVII. Verum enimvero vitium hærere primum in loco affecto & poſtea demum communicari M. S. videtur eſſe irrefragabile. Namque ſi recte rem penſitamus, cancer ita generatur: In principio contingit in anguſtis illis mammarum canaliculis *humoris cujusdam* ſ. ſanguinis, ſ. lymphæ, aliusve, *ſtagnatio*, incarceratio, adeoque excluſo ob peculiarem partis ſtructuram & conſtrictionem tonicam, ulteriori affluxu, ſaltem *coagulatio*, *ſcirrhoſaque induratio* ad *præcipitem* corruptelam minus diſpoſita. Parvulum tale ſed duriuſculum tuberculum negligitur, cum nondum ſenſibiles dolores inferat, ſed interim usque magis materia *viſcoſior*, ſubtiliori ſecedente, adhæret, collecta tubulos expedit, vaſa vicina comprimit, in iisque obſtructionem promovet, ita ſucceſſive tumor increſcit, & tumor fit inæqualis. Quodſi hæc ſcirrhoſa collectio ſucceſſu temporis vel *corrumpitur*, vel propter vaſorum compreſſiones aut incongruam medicationem, vel excitatum ſanguinis orgaſmum, *inflammari* incipit, tunc prodit ſeſe *Cancer occultus* cum ardore, doloribus punctivis, roſivis, cutis color alteratur, ut à ſtagnantibus atque in corruptionem inclinantibus humoribus lividus ac plumbeus evadat, vaſa adjacentia intumeſcunt, & ob fermentationem corruptivam ſalia generari incipiunt acria, corroſiva. Ita hactenus coercita fermentativo-putredinoſa humorum indoles ſubinde *latius* ſeſe diffundit, donec adeo increbeſcat,

ut

: ruptis atque corroſis omnibus repagulis *prorumpat*, & obvia quæ-
s turpiſſime devaſtet. Quo magis igitur hæc malignitas invaleſcit,
o magis corroduntur & enecantur partes, *nervi*, unde tanti dolores,
aſa ſanguifera, unde ſanguinis profuſiones, pusque fœtidiſſimum pro-
anat, *labia* ob fibrarum criſpaturam & diſtorſionem, calloſa, nodoſa
unt, ob corruptionem ſpongioſa, perforata, ichorem fundentia, ſub-
gricantia. In hoc rerum ſtatu non poſſunt non *humores* & *ſanguis* in-
e refluentes eadem corruptione eſſe inquinati, unde malum commu-
icatur *alteri* mammæ, aliis in partibus oritur fibrarum criſpatio, ner-
orum vellicatio, *dolor*. In hac diatheſi *nutritio* utique non debite pro-
edit, ſed reliquis viſceribus labes accerſitur, unde in univerſum *humora-
: maſſa* vappeſcit, *hydropi* porta panditur, tandemque tota *Oeconomia
nimalis* deſtruitut.

Sectio III.

Therapiam docens.

§. I

PErſpecto hactenus ſtatu p. n. par eſt, ut ſubjungamus debitam *Therapiam*, quam juxta ductum Pathologiæ adornabimus, ſervato etiam eodem ordine, quem in priori ſectione elegimus, ita ut *primo* contra morbos Papillarum, *deinde* Lactis vitia, ac *tandem*
nammarum læſiones convenientia proponamus remedia, quæcunque
riplex Medicinæ fons, Diæteticus nempe, Pharmacevticus, atque Chirur-
icus, ſuppeditat. In anteceſſum autem generaliter monendum eſt, *vi-
anda* eſſe omnia ea, quæ ceu cauſas morborum in antec. ſectione accu-
avimus, & *diætam* ex lege oppoſitorum ordinandam.

Papillarum auctus numerus vel ferro vel igne imminui poſſet, ſed
uænam fœmina tantis doloribus ſeſe exponet, cum absque multo in-
ommodo plures papillæ geſtentur? Sic & *Magnitudo* excedens vix,
iſi in primâ ætate, moderatis compreſſionibus præcaveri magis quam
olli, *Defectus* autem nulla arte reſarciri poteſt. *Deliteſcentes* extrahun-
ur vel applicatione infantis adultioris fortius ſugentis, vel ſuctione
erſonæ adultæ, vel per peculiaria hunc in finem inventa inſtrumenta
Suctoria, qualia deſcripſit Heiſterus in ſua *Chirurg.* & delineavit *Tab.*

Papillarum Excedens Numerus & Magnitudo. Defectus. Deliteſcentia.

E XV.

Tubuli nimis patuli, nimis anguſti, & impervii.

XV. *fig. 19. 20. 21.* *Tubuli lactei* nimium *hiantes*, ægre corriguntur, niſi leniter adſtringentibus in forma vel emplaſtri, vel, quod potiſſimum foret, in fotus forma, applicitis. Nimium *anguſtati* ampliari poſſunt iisdem modis, quos modo deſcripſimus de papillis nimis parvis. *Impervii* autem à *viſciditate* obſtruente aperiuntur maturo emulſionis tentamine, externe impoſitis ſpeciebus emoll. atque attenuantibus lacti incoctis; Internè vero datis abſorb. diapnoicis, & poros ampliantibus. Ubi laudatur eximiè Decoct. flor. ſamb, & ſem. foenic. c. lact. vacc. parat. quod tanto felicius aget, ſi aliquoties 🝆⊖✱ci aniſ. l. fœnic. guttatim exhibeatur. Sin vero à *cicatrice* poſt excoriationem efformata coaluerint, veſicatorium applicari jubent, unde denuo aperti ita curentur, ut ſubinde repetita leni ſuctione ſerventur pervii.

Fiſſuræ & Exulcerationes.

§. II. Papillarum *Exulcerationes* duplicem admittunt curam, *præſervativam* unam, alteram *curativam*. *Illa* abſolvitur applicatione pileoli, aut calicis cerei per aliquod tempus ante partum geſtandi, & inunctione mucilag. è ſem. lin. cydon. tragac. c. 🜄 ſperm. ran. extract. ol. f. amygd. dulc. ol. ovor. liniment. è bol. comm. pulver. & c. pingued. porc. ſubact. mane & veſperi peragenda. Mature etiam ope vitri ſuctorii tentetur ſuctio. Cura *Curativa* 1.) corrigit *acrimoniam humorum* per interna abſorbentia, & diapnoica, lap. cancr. ppt. conch. ppt. c. c. phil. calc. ♁ diaph. cum ⦶ & ♁, nec non diluentia & lubricantia, potus thée, caffée, gelatinoſa, Emulſiva. 2.) proſpicit *vitiis oris infantum* remediis ex ſuo capite petendis. 3.) *conſolidat* ipſa *ulcuſcula* demulcentibus, abſtergentibus & balſamicis, ungt. d. glycyrrh. Samaritan. butyr. c. flor. rec. calend. in linim. redact. mell. roſ. ol. ovor. lumbr. liquam. myrrh. c. vitell. ovi conquaſſ. balſ. Peruv. n. axung. can. &c. ſuperimponendo fol. tuſſilag. aut. lil. alb. rec. vel paſſul. maj. exac. aut calicem cereum, ne ſicceſcant papillæ. Ad ſanguinis ſtillicidium & ſaniei profluxum, antequam liquidiora applicentur, inſpergere juvat pulv. 🜃æ ſigill. 🜃 exanim. ⊕li. Atque ut hæc effectum certiorem exſerant, rarius infans mammæ affectæ admovendus eſt, &, ſi apponatur, papilla prius 🜄 roſar. in qua parum ſacch. ſolut. vel ol. amygd. aut ſyr. viol. probe abſtergenda, & finita ſuctione laudata topica denuo adhibeantur. In *fiſſuris grandioribus* fortiora exſiccantia & abſtergentia applicentur, Ɓina, c. 🜄 plantag. vel 🜄 calc. v. & tandem balſamica. Et ne lac ob intermiſſam infantis lactationem alia mala faceſſat, dum hic alteram mammam ſugit, inſtrumento ad hoc negotium parato ſimul educendum eſt. Sin autem *utrinque* papillæ ulceroſæ ſint, infans plane arcebitur.

§. III.

§. III. Optime *Lac reſtauratur*, ubi *nutrimentum deficit*, per alimenta evpepta, juſc. carn. bubul. gallinac. cancr. decoct. hord. ova ſorbil. lacticinia, gelatin. ſecale antiq. c. aq. decoct. vel lard. lacti incoct. & pro potu ord. aſſum. Emulſiones amygdal. pineatæ, &c. Quando *Temperamentum ſiccius* in cauſa eſt, proſunt pulveres ⦶ſo abſorbentes, potus Thée, Caffée, Emulſiones, Gelatinæ, &c. In *ſeri ſalſedine* ſi hæreat vitium, dentur abſorbentia, & ſpecifice laudantur cryſt. mont. ppt. lumbr. terr. lac Lunæ, ſem. nigell. Lapis galactites de collo ſuſpenſus. Quodſi vero *morbi concurrentes* lactis proventum impediant, hi omnino tollendi ſunt, & poſtea per nutrimenta ſuperius commendata facile reſtituetur. De cætero affluxus ad mammas egregie promoveri poteſt applicitis vitris ſuctoriis, itemque modeſtis frictionibus, & fotibus. Lactis autem *Abundantia* duo indicat. 1. *Genitum copioſum eſſe removendum*, 2. *Nimium proventum præcavendum*. Depletur igitur exundans copia emulſione, & frequenti alumni admotione, vel, ſi hic debilis eſt, infantis fortioris, aut duorum applicatione. Si jam ſtagnare & nodos formare cœpit, quantum fieri poteſt, emulgeatur, & tentetur *reſolutio* & *diſcuſſio* per Empl. è ſperm. cet. reſolv. Heinr. ranar. c. ol. chæref. menth. malaxat. Sparadrap. emoll. & diſcut. é ſev. hirc. vel ol. roſar. cer. virg. ℴℴ chæref. cui addi poteſt litharg. g. maſtich. oliban. &c. Epithemata ex herb. geran. Robert. chærefol. petroſel. menth. fol. heder. arb. rec. apium, ſem. vitic. cumin. coriandr. &c. Non neglectis ſimul internis incidentibus, diſcutientibus, Salinis, tartar. ⊕lat. tartar. tartariſat. arcan. dupl. M. ſal. polychr. Gl. & rad. armorac. quocunque modo aſſumtâ. Item Eſſ. alexiph. Stahl. pimpin. alb. TR. ♁ii, tartari, &c. Ad *præcavendam* nimiam lactis copiam in iis, quæ ſanguine abundant, multum facit V.S. in pede inſtituta, nec non leniora laxantia, motus & labor, victusque tenuior. Quibus vero Lac prorſus diſpellendum eſt, uti puerperis, quæ lactare detrectant, atque iis, quæ ablactare tandem volunt, illis herb. petroſel. c. ſem. & coriandr. quoquo modo largius applicita, modo dictum Sparadrapum aut Empl. diaphoret. camph. impoſitum confert, nec non ſtrictior mammarum compreſſio, inpr. per initia, ubi Lac nondum irrupit. Vel ſucceſſive uſque minus Lactis emulgeatur, atque ſic intra paucos dies ſponte evaneſcet.

Lactis Defectus & Imminutio.

Abundantia.

§. IV. In *Concretione Lactis* ſive thromboſi ſive tyroſi primaria Indicatio eſt *Reſolutio & Diſcuſſio*. Quamprimum ergo tale quid perſentiſcitur, tunc quantocyus Emulſio aut Suctio inſtituatur. Id autem,

Concretio.

quod jam coagulatum eſt, reſolvi tentetur, ac diſcutiatur per remedia in §. antec. contra abundantiam lactis commendata, quibus adjicimus hîc Frictiones & fotum ex herb. chæref. rec. minut. conciſ. & c. melle len. △ ad conſiſt. ungt. redact., quod ſuper chartam cœrul. extenſum mammis imponatur. Cicuta quoque contuſa & impoſita lac grumoſum reſolvere dicitur ab Ettmull. qui in pertinaci malo etiam laudat empl. d. galban. croc. M. c. g. ❋co lento △ liquat. calide impoſ. Interne conveniunt abſorbentia, cryſt. mont. lap. 69. &c. ut & lenia diuretica & ſalina, & reſolventia, inter quæ aliis palmam præripit Sperma ceti. Huc etiam pertinet ⏜ Salis ammoniaci Rficatus, Eſſ. alexiph. St. pimpin. a. in potu theif. cum regimine exhibit. Si hiſcce non obediat malum, *maturatio* promovenda & loco dolenti emplaſtrum maturativum imponendum, v. gr. empl. diachyl. c. gumm. cum empl. d. ſperm. cet. adhuc maritatum & ℅ quodam malaxat.

Tenuitas aquoſa. §. V. *Nimia Lactis ſeroſitas* corrigitur per *Laxantia* Phlegmagoga, quæ ſerum evacuant, quibus ſubjungantur *ſtomachica*, aromatica, ſanguinis balſamum reſtituentia, eſs. cort. ⊙nt. meliſs. macis, abſynth. pulv. ſtomach. Birckm. trag. ſuav. Gabelk. tunic. inter. ventric. gallin. & *Diæta* mutetur in ſicciorem, incraſſantem, magis aromaticam, & bene nutrientem, qualem in lactis defectu voluimus, conjuncto uſu vini generoſi.

Craſſities & Muciditas. *Mucida lactis conditio* attenuatur primo datis *purgantibus* melanagogis, quæ mitiora eſſe debent primis poſt partem diebus, & dum operantur, infans à mammis prohibeatur. Deinde *incidentibus ſalinis* & *reſolventibus*, his quidem tam interne quam externe uſurpatis, ut & lenibus *diaphoreticis*, quæ humores attenuant, *diluentibus*, quæ præ aliis in principio conducunt, quia ſimul lochia pellunt, gelatinoſis, *Diæta* ſit attenuans, potus ſufficiens, vitando aromatum & vini abuſum.

Salſedo & acrimonia olioſa. *Salſedo & acredo bilioſa* partim vult *evacuari* per cholagoga, partim *incidi*, & *corrigi*, *obtundi* & *dilui* per abſorbentia cum ⊖ibus digeſtivis mixta, gelatinoſa, mucilaginoſa, cavendo, ne denuo caput extollendi occaſionem nanciſcatur per aromatica, ſpirituoſa, animique pathemata. Lac *nimis calidum* expoſcit *temperantia*, abſorbentia & ⦶ſa, & *puſtulæ* illa rubræ in areola conſpicuæ *mucilaginoſa*, qualia in

Difficultas lactendi. fiſſuris papillarum laudavimus. *Lactandi difficultati* proſpiciendum eſt pro ratione cauſæ, ita, ut nunc *tubuli* adaperiendi ſunt, juxta §. II. nunc lactis *craſſities* corrigenda, modo jam dicto; vel ſi *infans* ad ſugendum perſuaderi non poteſt, norunt mulierculæ papillas & areolas illine-

ſinere dulcibus, ſyrupo violar. vel aqua ſaccharata, vel lacte proprio, &c. Mammæ quoque modice comprimantur ad juvandum lactis egreſſum, vel ſi *Spasmodici* quid ſubſit, leniter fricentur pannis vel molliori excutia.

§. VI. *Lacteam febrim* ſi conſideremus tanquam difficilem lactis perruptionem, conducit blandiſſima alvi *laxatio*, quam obtinemus adeo decantatis & in affectibus præſ. mulierum celebratis pilulis Stahlianis. Poſtea dentur, quæ nimios concurrentes *ſpaſmos* demulcent, temperantia, ⦶oſa, & quæ diſcutiendo viasque laxando poros *aperiunt*, lenia diaphoretica, &c. prout in Lactis defectu varia allegavimus. *Externe* mammæ à frigore probe muniantur, muſtelæ aliave pellicula, aut molli excutia blande fricentur, aut ſugantur. Commendanda etiam quieta in lecto continentia, ut corpus in leni diapnoê ſemper conſervetur. *Pilos* in mammis hærentes Plinius L. XXXI. C. 10. jam putavit, educi poſſe ab illitis cancris fluviatilibus, cum quo idem conatur Car. Muſitan. *Trut. Chirurg. Tr.* II. C. 46. ſi reluctentur ſuctione exire, aut forcipula eximi nequeant. Quia vero ſupra fictitium hocce capillitium ad lactis *coagulationem, & tubulorum obſtructionem* retulimus, ex illo igitur capite cura deſumenda eſt. Febris lactea. Trichiaſis.

§. VII. In *Pluralitate mammarum* atque *Defectu* idem hic valet, quod ſupra de iisdem papillæ morbis diximus, niſi quod juvet laxior thoracalis conſtrictio, & blanda ſæpius repetita frictio, ut in ſororiantibus magis grandeſcere poſſint, adeoque præcaveatur nimia earundem parvitas, & quidem longe certius, ac heic Tubingæ per jocum pro mammarum incremento commendatum brodium pyrorum exſiccatorum, vulgo, Schniz-Brühe. *Dolores ſororiantibus* atque *gravidis* accidentes mitigari poſſunt oleoſis, ol. chamom. roſar. hyoſc. verbaſc. melilot. ad vias laxandas, fibras emolliendas & demulcendas, externè inunctis, vel ſparadr. ex cera, ol. roſac. &c. impoſ. non omiſſo etiam internè antispasmodicorum uſu. Neque V. S. hoc in caſu negligenda eſt in plethoricis. Errabundi v. *dolores rhevmatici* avertuntur remediis ex Cap. de Rhevmatiſmo petendis. *Flaccidis* mammis aliqualem rigorem & duritiem conciliare ſtudent quædam, ſive, ne maritis poſt puerperium mammas pendulas offerant, ſive, ut cœlibes pro immaculatis ſeſe vendant, atque hunc in finem mammas ſemel aut bis per diem lavant vel aqua deſtill. ſtrobulor. pini, vel decoct. alchymill. & matricar. vel decoct. gallitrich. ſ. Sclareæ, mammis applicant. *Tumoris ex pinguedine præoc-* Morbi Mamarum. Exceſſus & Defectus. Dolores. Flacciditas. Tumor ex pinguedine.

cupatio tentari poterit mutatione victus plenioris in magis tenuem, & minus nutritivum, laborioſis corporis exercitationibus & motionibus.

Oedema. §. VIII. *Oedema*, ſi complicetur *cum aliis morbis*, cachexia totius, l. hydrope, anaſarca &c. curam omnem *particularem* reſpuit, niſi morbo primario profligato. Ad *mucidam* igitur *humorum ſpiſſitudinem corrigendam* commendari merentur *interne* ⊖ia media & fixa, gummi-reſinoſa, alexipharmaco-diuretica, antiſcorbutica, amara balſamica, nec non aromatica. Dein *evacuantia*, purgantia, ut & diuretica. Poſtea ſubjungenda *tonica*. *Externe* adhibeantur *reſolventia*, *attenuantia*, *diſcutientia*, HB. chelid. maj. Rad. ejusd. petaſit. armorac. ſig. Salom. bryon. ſed. vermicul. mur. quæ vel rec. par. contuſ. & calide appl. in epithem. ſicco, vel prudenter remixta c. vino, ⊡, aut ✝to decoqui poſſunt. Laudatur etiam fimus Columb. c. ✝to miſtus, nec non tabaci folia, vel in decocto, vel cum butyro & ſapone in ungt. converſa. Frictiones modeſtæ linteaminibus calidis inſtituendæ quoque proſunt. Veſica bubula lacte vel ▽ calid. repleta diaphoreſin augendo bono etiam cum effectu imponi poterit. Sic per ſudorem pariter diſpellunt Balnea Laconica prudenter in uſum vocata. Nocent vero pinguia, emplaſtica, emollientia, ſulphurata, acriora, gummi-reſinoſa, refrigerantia, humectantia, & repellentia. Quodſi oedema cutim ad crepaturam uſque diſtenderit, atque ita *ulcus* formatum ſit, præ omnibus reliquis ol. myrrh. p. del. habetur præſtantiſſimum. *Diæta* obſervetur congrua, cibi ſint aromatiſati, ZZbere potiſſ. conditi. Pars affecta ne frigori exponatur, ſed in continuo calore conſervetur.

Nodi. §. IX. *Nodi*, qui *à Lactis coagulo* ortum trahunt, curantur eâ methodo, quæ ſuperius de Lactis coagulatione indicata fuit. Quantocyus igitur tali collectioni occurratur tempeſtiva lactis emulſiva expreſſione, frictione moderata ope excutiæ minus rigidæ, ita tamen peragenda, ne ſuccedat ſtaſis eryſipelacea, præterea ſi in cauſa ſint conſtrictiones & *ſpaſmi*, omnino conveniunt antiſpasmodica, inter quæ eminet ⦶ & cinnab. Concedunt etiam emplaſtica, ſed non calidiora, v. g. empl. d. ſp. cet. c. ol. hyoſc. malax. & c. croc. & camph. ſubact. quod ſpaſmos egregie lenit, & inflammationi reſiſtit, in frigidioribus tamen aliquid de gumm. ammoniaco addi poteſt. Vel empl. d. galban. croc. M. cum eod. oleo, vel ol. menth. aut chæref. malax. it. empl. d. melilot. . empl. diachyl. c. g. & camphorat. Alii é fimo columb. c. vappa vini cataplaſma parant

& ap-

& applicant. Eſs. pimpin. alb. uti in aliis lactis vitiis, ita & hîc, in parciori doſi magis proficuam eſſe, quam aliam in largiori quantitate datam, vult Exp. Stahlius. Sic & alvi legitimus ſucceſſus provocatus in lactis & mammarum vitiis multum poteſt. Inſuper ſi ullibi, certè in his caſibus juvat mammas blando colore fovere. Sin vero *tumores* magis ſint *ſanguinei*, *eryſipelatodes*, *phlegmonodes*, & *apoſtematodes*, tunc ſtaſis etiam maturè eſt *reſolvenda & diſcutienda* tam per interna, quam externa, præc. diaphoretica. Inter diſcutientia, quæ *interne* conferunt ſambucina reliquis fere præferuntur, v. g. ▽ fl. ſamb. in MRa, cui add. ♁. diaphor. & pro ſcopo reſolv. majore MRa ſimpl. vel flor. ſamb. in infus. Conveniunt etiam *temperantia* abſorbentia, ⌽ata & ⊖ina, cum diaphoreticis maritata, conch. ppt. c. c. phil. ppt. ♁ diaph. mandib. luc. piſc. magnes. alb. mat. pert. ⌽ ♁tum, depur. ⊖ nat. & ♁ii, quorum uſus aliquantisper continuandus eſt. *Externe ſacculi* ſicci é flor. chamom. ſambuc. herb. menth. chæref. calidè applic. aut Catapl. é Rob ſambuc. largiter forti linteamini obducto, ſæpius, ne nimis tenaciter adhæreat, reiterandum. *Pulv.* it. *eryſipel. Mynſ.* c. ſach. ♄ n. & camph. in principio ſæpius inſperſ. *Unctuoſa* etiam in hoc caſu ferunt mammæ, v. g. ol. menth. cum ol. deſt. aniſ. aut chamom. &c. aut Emplaſtr. reſolv. Heinr. camphorat. aliaque, quæ ad nodos reſolvendos allegata fuerunt, præſ. ſparadr. ex ol. oliv. roſar. c. cer. & ſev. hircin. add. ſperm. cet. & camphora.

Tumores ſanguinei, Eryſipelas, Phlegmone.

§. X. Quodſi diſcuſſio non obtineatur, *maturatio* locum habet, ubi pro ſcopo maturandi Empl. d. melilot. c. ol. ovor. ol. amygd. d. reliquis præſtat, quia ſimul diſcutit. It. empl. è mucilag. diachyl. ſ. & c. g. Noriberg. quod quidem tardioris, ſed optimi eſt effectus. Aut imponatur pan. tritic. in lacte coctus, cum pauxillo croci. *Abceſſus*, ſi ſponte non rumpatur, aperiatur lanceola in parte acuminata, ne pus profundius ſerpat, apertus eſt mundificandus & conſolidandus balſamicis, liquam. vel Eſs. myrrh. c. eſs. ſuccin. addito modico ⁓ thereb. vel ol. ovor. hyper. momord. balſ. peruv. balſ. Arcæi, &c. deſuper imponendo Empl. diaſulph. Rul. ſtict. Croll. opodeldoch Parac. &c. Tamdiu autem apertus ſervetur, quamdiu adhuc tumor adeſt. Si in *fiſtulam* abeat, (quod ob glanduloſam & adipoſam ſubſtantiam facillime contingit) & *ulcera* ſinuoſa, *mundificantibus & abſtergentibus* magis eſt inſiſtendum per ſuccum chærefol. decoct. tabac. ol. philoſoph. & quod Ettmuller extollit, ol. momord.

Abſceſſus.

& Ulceratio.

mord. Conf. Foreſt. Obs. L. I. O. 24. Scultet. *Armam. Chir. obs.* 75. continuando uſum Empl. opoteldoch, de min. d. plumb. uſt. ſtict. Croll. *Interne* ordinatis, quæ *M. S. purificant*, decoct. lignoſ. é lign. guajac. ſaſſafr. rad. chin. ſarſæp. ♁ crud. &c. *Tumores & ulcera verminantia* optime *præſervantur* debita ipſorum tractatione maturatoria, mundificatoria & abſterſoria. *Curationes* autem præter hactenus dicta inſtitui poterunt, prouti in Pathol. citatæ obſervationes docuerunt.

Tumores & Ulcera Verminoſa.

Scirrhus.

§. XI. *Scirrhus* duas format indicationes, vel *diſcutiendus* eſt, vel ita *ſibi relinquendus*, ne incrementa capiat, aut in gravius malum degeneret. Si *diſcuſſio* intendatur, internè præmittenda ſunt *laxantia per* epicraſin operantia cum diſcut. reſolv. ſociata, aut pilul. laxantes cum gumm. ammoniaco, mercur. dulc. &c. paratæ, ſæpius reiteratæ. Uſurpanda etiam ſunt *diſcutientia*, TR. ♁ii acr. c. eſs. primp. alb. it. eſs. ſcord. vincetox. ſuccin. Vel decocta Lignoſ. &c. Ad *præoccupandam corruptionem* acrimonia corrigatur per abſorbentia, temperantia, ♁iata. *Externe* non neglecta *V. S.* aut in ſucculentis *ſcarif.* inter *topica diſcutientia* primus ſtat 🜄. camphor. & crocatus jugiter continuatus, qui præſ. in ſcirrho ſanguineo conducit. Catapl. non c. lacte, ſed vino parata, aut Epithemata ex rad. bryon. ſig. Sal. jrid. Fl. angel. Hb. ſcord. Flor. ſambuc. add. camph. *Emolliendi* ſcopo combinari poteſt rad. alth. malv. liquir. herb. & flor. melilot. flor. chamom. ſem. lin. Ex *emplaſtris* locum habet emplaſtr. de g. ✽co For. d. cicut. melilot. é galban. croc. &c. camphora imbuta. Conveniunt etiam ad reſolvendum moderatæ *frictiones*. Ulterior *affluxus* arceatur diſcutientibus, e. g. empl. d. ſpermat. cet. diaphor. M. c. camph. in ambitu applic. Quomodo *exſcindendus* ſit, reſervamus ad therapiam Cancri Occulti. *Exſangues interne* eadem poſcunt, nec non *externe*, in his tamen ad *emolliendas* inſpiſſatas muciditates, easque ſenſim diſpellendas tutius adhibere licet emollientia, empl. diachyl. vel ſaponat. Barb. d. melilot. cum jam dictis diſcutientibus. Alii ☿ialia laudant & inungunt ☿ium viv. cum pinguedine quadam in linimentum redactum, ſuperimponendo empl. Vig. c. ☿io, atque, ne ſalivatio excitetur, corpus ſubinde purgant. Sin vero ulterius ſaltem *incrementum prohiberi*, adeoque *Cura palliativa* in uſum vocari ob ſcirrhi annoſitatem, ſubjectique conditionem conſultius videatur, præſtant hoc *ſaturnina*, lamina inpr. tenuior plumbea, alternis diebus ☿io illita, pauloque laxius mammæ applicata, ne compreſſione noceat, quæ vi fundente, repellente, & refrigerante

ſatis

ſatis efficax eſt etiam ad cancrum occultum. Sic & empl. ſaturn. Mynſ. d. minio, diapompholyg. &c. obſervando ſimul *diætam* exactiſſimam, tenuem, & aſſumendo *remedia* humorum orgaſmum atq; acrimoniam infringentia.

§. XII. Doleo, quod temporis anguſtioribus jam incluſus cancellis, *cancri tum latentis, tum manifeſti* curationem ea, qua deceret, dignitate ſubnectere nequeam. Verum enimvero hoc etiam non obſtante dehortatur tamen *Divus* noſter *ſenex*, Hippocrates, qui in *ſect. VI.* §. *38.* *inquit* : *Quibus cancri occulti fiunt, non curare melius : curati enim intereunt cito. Non curati vero multum tempus permanent.* Vix enim alius affectus eſt, qui tam facile irritatur, niſi convenientiſſima adhibeantur remedia. Hinc optime monet Munick. in *Pr. Chir. C. 13. Occulti tractentur, ne exulcerentur, exulcerati, ne ulterius ſerpant.* Aut quod alii : *ſeca mature, vel blandire prudenter.* Quodſi vero aliquid agendum ſit, *Indicationes* Sunt : I. *Acrimonia & dyscraſia humorum præoccupetur & auferatur.* *α.*) per laxantia, aperientibus reſolventibus & balſamicis maritanda & interponenda, præpr. ☿ialia & helleborina. *β*) Abſorbentia, temperantia, oſtracodermata, & calc. metall. fix. ♂ialia, lumbricalia, viperina, &c. in pulv. bis de die exhib. *γ*) leniora diaphoretico-diuretica, moderate his con- & ſubjungenda. II. *Affluxus copioſior prohibeatur* præter repetitas laxationes per ea, quæ ſanguinem & humores ad inferiora invitant & imminuunt, V. S. in pede, fonticulos, habita ſimul hæmorrhoidum & menſium ratione. III. *Tumor ipſe reſolvatur & diſcutiatur per externa.* Atvero hic præc. in memoriam revocamus, quod non ſine ratione affectus dicatur *Noli me tangere.* Referri tamen huc poſſunt, quæ in §. *antec. de ſcirrho* dicta ſunt. Hic præter laminam ♄eam ☿ialem, aliaque ♄ina laudamus 🜄 camph. c. eſſ. croc. ſique dolores urgent, ⁓ lumbr. formic. remixtum, ſed magis in circumferentia, quam tuberculo illinendum. Quoniam autem prælaudata iſthæc remedia exoptatum effectum rarius aſſequuntur, imitanda eſt *Batavorum methodus,* qua cancrum mox ſub herba ſuffocant, & vix nuce avellana majorem mature exſcindunt, ſicque ulteriorem proventum, experientia ſuffragante, præcavent. Quando itaque *mobilis* eſt, *aptoque loco ſitus, vaſis magnis non accretus, à cauſa magis externa ortus, in juvenili, ſano, viribusque conſtante corpore,* ægræ *conſentientis* brachium retrorſum flectatur, ut tuberculum ob extenſum muſculum pectoralem ad anteriora magis protuberet. Deinceps *inciſio* fiat *crucialis,* cuteque ſeparata reclinata, *tumor* ipſe apprehendatur vel ſolis *digitis,* vel *forcipe Helvetiana,* (*quam non inepte cum*

Cancer occultus.

Excisſio.

cum circino cruribus falcatis inſtructo, Taſter - Circul, comparaveris, vid. Heiſt. Chir. Tab. XVIII. fig. 3.) alteràque manu cauta *extractio* ope cultelli inciſorii peragatur, adhibita cautela, ne *vaſa* majora vulnerentur, quæ proin ligari poterunt, ne operatio turbetur. Facta diſciſſione *ſanguini* aliqualis permittatur exitus, & *imponantur* lintea carpta cum vel ſine *iſchæmo, colophon.* &c. De reliquo *vulnus* mundif. & conſolidantibus tractetur, & in peripheria applicentur, quæ *inflammationem* tum præcavent, tum diſcutiunt.

Cancer Exulceratus. §. XIII. *Cancri exulcerati* curatio perfecte abſolvitur, dummodo perpetrata fuerint, quæ ſequentes *Indicationes* poſtulant: Ima eſt *Ulceris mundificatio, & putrilaginis extirpatio.* IIda *eſt Ulterioris corruptionis cohibitio.* IIIia *Affluxus noxii repulſio.* IVta *Univerſæ humoralis maſſæ purificatio.* Vta *Urgentium ſymptomatum mitigatio.* Et denique VIta *Conſolidatio.* Sed *hic Rhodus, hic ſalta*! Liberet jam ſingulis iſtis Indicationibus aliquatenus ſubjungere ſua *Indicata*, modo ob temporis anguſtiam, qua etiam ad prolegomena imprimenda excludor, id liceret. Eapropter iis non niſi hoc annectimus, quod *Kortholthus*, Gedanenſis, magnam ſibi famam comparaverit ſuis *ſpecificis*, videlicet *pulvere* quodam fuſco, quem vocat *emeticum ſine pari ;* TRâ *anodyna; Panacea ſolari ; Balſamo catholico viridi ; Balſamoque vulnerario.* Quorum effectus pluribus exemplis felices, paucioribus fruſtraneos, comprobatos referunt *Vratislavienſes in Natur - und Medicin - Geſchichten, Ann. 1719. m. Januar. Claſſ. V. artic. II. & An. 1720. m. Octob. Claſ. V. art. IV.* Quandoquidem incaſſum videantur omnia, audiendus eſt *Celſus,* qui ita: *Morbos, quos medicamenta non ſanant, eos ferrum ſanat.* Coronidem ergo noſtris diſcurſibus imponat *Operatio Chirurgica,* quæ tempeſtive inſtituta, omnibus aliis irritis, in cancro occulto majori pariter, ac exulcerato mira præſtat, & ægram à tantis cruciatibus, atque inevitabili vitæ periculo D. B. liberat. *Minus* ea *periculi* infert, quando cancer aliquatenus mobilis eſt, & ſuperficiem magis occupat; E contrario *majus,* ſi profundior eſt, vel ipſas coſtas jam arroſit, in quo tamen caſu muſculum pectoralem ſimul præſcindere non reformidavit *Bidloo,* qui uno anno vigeſies bis ita ſe operatum eſſe teſtatur in *Exerc.* ſuis *Anat. Chir.* idemque approbat *Heiſterus.* Imo licet glandulæ ſubaxillares infectæ fuiſſent, feliciter ſeſe haud ita pridem mammam amputaſſe, glandulasque exſecaſſe, affirmavit *Graviſſ. Dn. Præſidis* deamatiſſimus gener, *Præcellentiſſ. Dn.* Mauchard, *Prof. P. O. Tubing. Celeberr. Fautor meus Colendiſſimus,* eâ inſimul prudenter habita *cautione,* ne ſurculos

Amputatio mammæ cancroſæ.

los arteriæ axillaris aut brachialis illuc locorum diſperſos violaret. Adeoque is ſaltem reſtat metus unicus, ne cancro licet una cum mamma reſciſſo, ab infecta M. S. par crudele malum in alteram transferatur.

§. XIV. Methodos, quibus *Scultetus* cum Veteribus, Helvetius, Bidloo, & Solingen uſi ſunt, ſilentio præterimus, & hunc ſaltem proponimus *mammam cancroſam amputandi* modum : Amplectitur una manus mammam, eamque usque magis à coſtis cum vel ſine muſculo pectorali, vel toto, vel ex parte, deorſum elevare annititur, dum altera manus ope cultelli inciſorii incipiendo à parte ſuperna prope claviculam, & ſub axillis finiendo ita ſectionem velociter peragit, ut vaſa ſanguinea ultimò diſſecentur, ne hæmorrhagia vel juſto major ſit, vel operatorem impediat. Atque hanc ſecandi methodum præferimus illi, quam *Dn. van Buhren, Operator Noſodochii Trajectini* adhibuit cum pecul. *cultro falciformi*, qui cum duplici manubrio conjunctus eſt, uti é figuris videre datum eſt in *diſp. inaug. Dn. Tabor, Moeno-FFtenſ.* habita *Trajecti ad Rhen.* 1721. atque apud *Heiſter. l. c. Tab. XVII. f. 3.* quia aliquo modo vellicat (*es kneipt*) hoc inſtrumentum, hinc etiam apud ipſos Batavos ejus uſum ceſſaviſſe, compertum habemus. Quidam, inpr. *Bidloo* & *Garengeot* volunt, facta abſciſſione tolerandam eſſe aliquandiu *hæmorrhagiam*, ut hoc modo *miasma* eliminetur, & *febris* vulner. præoccupetur. Sed plane *ſupervacanea* eſt hæc admonitio, cum in ipſo amputationis actu ſat ſanguinis effluat, nec non, ſi vulneris oræ comprimantur, hoc miasma affatim exprimatur. Præſtat eam mox cohibere vel per *cauterium* actuale, vel per *ſtyptica*, vel, quod melius, ℣. *Rficatiſſ. Vaſis* vero *Majoribus* injiciantur ligaturæ. Poſtea quî apte *deligari* debeat, conſulatur *Heiſter. l. ſ. all. p. 829.* & *Baſſius*, in cujus *Bericht von Bandagen*, v. plumaceol. Tab. I. fig. 6. & 8. Emplaſtr. T. II. f. 22. Splenia, T. III. f. 2. atque faſcia. T. X. f. 3. & 4. In ſubſequis deligationibus invigilandum eſt omnimodæ *reliquiarum cancroſarum* eradicationi, vulnerisque peritæ *Conſolidationi.*

Jam filum heic abrumpo, annexis ad SVMMVM ARCHIATRVM precibus devotiſſimis, ut, qui hactenus ſtudiis meis clementi ſua gratia adſtitit, eadem in poſterum quoque benigniſſime ſecundare, atque hunc in finem etiam Fautores ubique locorum mihi donare, ac denique praxi clinicæ ita ſemper benedicere velit, quo omnia undique cedant in Ter Sancti ſui Nominis gloriam, proximi ſalutem, Parentum ſolatium, meumque proprium emolumentum. Atque hac quidem ratione ſtudiorum meorum nunquam non exoptatus obtinebitur

FINIS.